


Caiſsotti


REINERI
APOLOGI
















Medicina antica!

REINERI SOLENANDRI MEDICI


APOLOGIA

Qua Iulio Alexandrino re-
ſpondetur pro Ar-
genterio.



FLORENTIAE

MDLVI.



CLARISSIMO ATQ. HVMANISS. VIRO IOANNI ECHTHIO MEDICO CELEBERRIMO.

REINERVS SOLENANDER. S.P.D.



VM alteram operis Argenterij æditionem appararet Laurẽtius noster, uir doctißime, exhortatus est Argenterius, ut ea quæ in defensionem suorum operum ante quadriennium scribere aggressus eram, absoluere, absoluta unà cum opere suo darem imprimenda. Hæsi diu, tandem rationibus uarijs adductus, atque debita in Argenterium obseruantia motus, absolui, Typographoque æditionem conceßi. Quare quàm malè consuelucrim quieti meæ, consequi facilè possum: quòd in me hominum oculos concitarim, abundè uideo: quodque me uarijs hominum iudicijs exposuerim, satis scio, Nam in tanta ingeniorum uarietate, in tanto

sectarum studio, non defuturi sunt homines qui aliud, aut aliud in me reprehendent: quidam me temeritatis incusabunt: alij arrogantiæ forte arguent, alij aliud calumniabuntur, quibus in subsequenti ad lectores præfatione, responsum uolo: præter hos (quos superstitiosiores, quàm par est existimo) fieri non potest, quin multi sint uiri boni, & solida doctrina præditi, qui sincerius de hac re sentiẽt, quibus solum cupio, meam operam, & studium probari: in quorum numero tu facile primas inter nostrates tenes. Quandoquidem quum libero sis ingenio præditus, à doctissimis præceptoribus primum in Germania, postea multis annis in Italia liberaliter institutus facilè factum est, ut in omni disciplinarum genere excelleres, unde illud est tui ingenij acumen, hinc uariarum linguarum, & rerum omnium cognitio singularis, qua omnibus non solum Germaniæ, sed exterarum nationum quoque doctis mirum in modum probaris. Inde ea in medendo desiderata fœlicitas, qua plerisque Germaniæ principibus places uiris, qui te ob eam causam, beneuolentia sua, & liberalitate abundè complectuntur:

quapropter iam multos annos Illustriss. Princeps Guilielmus, Iuliacensis, Cliuensis, et Montensis Dux, Mecœnas meus, te inter medicos suos præcipuum, atque primarium habet: apud quem quantum gratia uales, omnes norunt, & ego sæpe experientia didici. Nam postquam Ioannes Gograuius nobilitate, & eruditione insignis, prudentiaque singulari conspicuus, uir perpetua uita dignus, è uiuis non meo solùm, sed totius regionis magno malo discessisset, neque haberem apud Illust. Principem, qui rebus meis, ut ille fecerat, animo faueret, tu sponte tua, quo es in studiosos omnes affectu beneuolo, mei tutelam suscepisti, tu effecisti, ut quod clementissimus Princeps in me ante aliquot annos magnificè inceperat, liberaliter sit prosecutus. Nam cum me antea suo stipendio Louanij primum in literarum institutione, postea in Hieremiæ Brachelij doctissimi medici schola aleret; atque inde in Italiam ablegaret, tu author fuisti, et Principis beneuolam uoluntatem tua opera confirmasti, ut eodem beneficio iam multos annos ipso cōcedente in plerisq; Italiæ scholis sum enutritus: in quibus hoc etiam acces-

sit, quod te consultore doctißimis quibusque semper sim usus praeceptoribus, & ferè omnium domesticam familiaritatem fuerim cõsequutus. quorum institutione si quid profeci aliorum esto iudicium: ego sane, quantum illud sit aliquot annos in artis operibus in Hetruria expertus sum, & nunc hac mea disputatione uolui periculum facere, quam tuæ censuræ submitto, utque patrocinium eius suscipias uehementer rogo. Quod si me in cæteris rebus beneuolentia, & candore animi tui singulari es complexus: in hoc negotio in quo maxime patrocinio opus habere uideor, tuo fauore mihi deesse noli, quod ut facias adhortabitur etiam te ea necesßitudo, quæ tibi cum ipso Argenterio præceptore meo, cuius causam ago, intercedit, olim Antuerpiæ in opere medico contracta, officijsque multis postea cõfirmata. Non defero hæc qualiacunque mea ad te, quòd cupiam hoc officio te mihi demereri (nam hoc alio opere aliàs conabor) solum tuum patrocinium requiro. Nam quemadmodum qui in duello pugnam cõmittunt, suum sibi quilibet patronum habet, cui hoc curæ est ne cliens ab aduersario aut astutia quadam

uel dolo aliquo malo circũuениatur, aut ab circunstante aduersaria multitudine ui opprimatur: eodem modo in hoc honesto disputationis duello, tuum patrocinium expeto, quòd tu in hac arena exercitatissimus sis, ut qui non solum omnes tam Græcos, quàm Arabas, & Latinos scriptores diligenter perlegeris, uerum etiam uniuersam Philosophiam, omnemque medicinam methodo exactè didiceris: adeo ut ea ratione nullum inuenire queam, qui fœlicius authoritate tueri, & melius doctrina defendere hæc mea poßit, quique benignitate, & beneuolentia minus grauatim ea sit suscepturus. Vale, meque & mea studia illustrißimo patriæ meæ Principi commendata habe.

Lucæ.

AD MEDICINAE CANDIDATOS CAETEROSQ. BENEVOLOS LECTORES.

Præfatio.



IOANNES Argenterius, quem inter alios præceptores meos semper plurimi feci, ante se xẽnium indefesso labore summisq; vigiliis opus de morbis ędidit, in quo singulari ingenio variis libris eorum genera diuisit: species & differentias distinxit: causas explicauit: effectus ordine tradidit: partes & tempora obseruauit: descripsit indiitia: notauit præsagia: & ratione inuenit, instituitq; curationum modos & leges: adeò, vt non solum eas medicinæ partes quæ causas, effectus & signa morborum tradũt, exactissimè descripserit: verum etiam eam ferê explicarit, & valde conuenienter docue

rit, quæ de ſanandis morbis præcipit, nec non illam quæ ſanitati tuendæ præfixa eſt, atque de his omnibus ita doctè, ita elegan ter diſſeruit, vt credam antehac nihil magis abſolutum, aut perfectius fuiſſe in hoc argu menti genere diuulgatum. Nam quæ ab an tiquis paſsim de hac re, & variè ſcripta fue rant, collegit: multa reſtituit: quæ obſcu-ra erant, & abſtrurſa, interpretatus eſt: plu rima noua de ſuo inuenit, & addidit: o-mnia deniq; ordine, atque methodo expli-cauit: ita ut quicquid in hoc negotio colla-pſum erat, erectum conſtituerit, quicquid vitium fecerat, reformatum conſtabiliuerit atque inſtaurarit. Quamobrem is ab o-mnibus non ſolũ medicinæ candidatis, ſed à bonarum artium omnium, & veritatis ſtu dioſis amari mirum in modum obſeruariq; deberet, nec non ipſius induſtria, & labor à cunctis excipi, atque amplecti. Verum, vt fit, in hac morum corruptela, in iſta iudi-tiorum ratione deprauata, in tam docendi diſcendiq; modo peruerſo, pro tot inexhau ſtis laboribus, pro tam vtili in arte noſtra opere, multorum inuidiam reportaſſe vide tur, atque plurimorum maleuolentiam ſi-bi conciliaſſe: cuius rei inditium præbuit, quod ſtatim ædito libro omnis Europa (vt

ſolet in rebus nouis, & magnis fieri) commoueri viſa eſt: cœpit omnis Gallia, vniuerſa Germania, & Italia infeſto calamo in ſurgere, vt huius labores, & induſtriam ſupprimeret. Nam quia multa contra Galenum ſcriberet, quædam in Ariſtotelem diceret, plurima doceret aliter, quam fuerant hactenus tradita, erroneam eſſe ipſius doctrinam, ac corruendis philoſophiæ, & medicinæ fundamentis natam arbitrabantur. Verum ſedatis primis illis motibus, cum docti viri perlecto opere, re diligentius examinata, intelligerent omnia artificioſè ab eo partim aliunde collecta, partim ſuo ingenio inuenta, & via quadam, ac ratione tradita, quæ ad omnem medicinã pertinent, eaque argumentis ex natura rerum, cauſis, & effectibus earũm ductis probata, propoſitum mutarunt, & quæ multi antea calumniari, & repræhendere volebant, cœperãt laudibus efferre, atque admirari. Ex his alii, qui hunc docendi modum, & hanc doctrinam publicè probare nolebant, ne ſuperſtitioſe Galen. deeſſe viderentur, aut hactenus de multis malè ſenſiſſe iudicarentur, tectè eam confirmarunt, multa ſcilicet ex ipſius ſcriptis, vel publicè in ſcholis docentes, vel in ſuos libros pro ſuis tranſcriben-

tes: Inter quos eſt Leonardus Fuchſius laborioſus ſanè vir; qui olim conſcripſit artis noſtræ methodum, quam proximis annis, ita mutauit & auxit, vt aliam omnino faciem opus referre videatur, nimirũ quod plurima cum alia, tum de temporibus morborum, de ſignis ac de officiis medici ad verbum ferè tranſcribendo, tacitè deſumpſerit: vt ea ratione non ſolum didicerit ipſius induſtria, ſed etiam laudem ſibi apud alios illius opera pepererit. Sic qui meliori iuditio, animoq; candidiore præditi fuere viri fecerunt. At Iulius Alexandrinus vt primum perturbato animo, quantum videre poſſum, eam prouinciam in Argenterium ſcribendi aggreſſus eſt: ita ſine iuditio, ni fallor, pertinaciter in propoſito perſtitit: qua in re eum demiror, quod is primus & vnus ex tanto doctorum hominum numero in hanc arenam deſcendere voluerit, idq́, tam promptè, vt nihil prius (vt inquit) habuerit, quàm hoc negotium conficere: tam inconſiderate, vt ipſe fateatur ſe inaniter plerunque de rebus his altercari, ſuumq́; opus non iuſtum ædidiſſe. Aeditum qualecunq; ſtatim perlegimus, & quot quot eramus eo tempore Argenterio diſcipuli, authores fuimus præceptori noſtro, vt,

neglecto eo, non reſponderet, librum, & inutilem eſſe ſtudioſis, vt qui doctrinæ nihil contineret, & ſine ordine interrupte eſſet conſcriptus, & indignum ipſius cenſura: quamobrem quicquid in eo conſumendum foret temporis, in magis arduis, magisq; vtilibus reipub. ſtudiis, vt collocaret potius precati ſummus. Promittit, ſed ea conditione, vt quidam noſtrum aliquid in eam rem meditarentur, quo etiam hac ratione (vt opinor) noſtris ſtudiis prodeſſet, atque mihi id exemplar Alexandrini, quod amici Patauio miſerant, ea gratia concedit. Quo tempore ingenii ſolum exercendi cauſa, aſſumo Antargenterica, atque hinc Galenum, inde Argenterii ſcripta, collata adhibeo, atque obiter foliorum marginibus aſcribo, quæ tum auimaduerſione digna videbantur: quæ cum pleriſque condiſcipulorum placuiſſent, adhortati ſunt, vt ea cõmunium ſtudioſorum gratia, noſtræq; in præceptorem obſeruantiæ ergo, dictione continua compræhenderem: quòd paulo poſt cum ſcholas relinquerem ſucceſſiuis horis effectum dedi. Verum abſoluta magna operis parte, cum friuola iſta diſputandi ratio, qua Alexandrinus vbiq; vtitur, partim eludendo vim argumentorum, nec vn-

quam probationibus, rationúmve momentis rem agendo, partim teſtimoniis aliquot Galeni adductis, atque diſtinctionibus quibuſdam ſuis, vt plurimum non intellectis elabendo, multaq́; quæ vrgeri poterant, licet Galeni ſint non agnoſcendo, mihi nauſeam moueret, neque in animo haberem, licet tum opus abſolutum habuiſſem, vnquã in publicum emittere (quod nimirum illubenter hoc ſcribẽdi genere primum apud homines doctos innoteſcam) ab incœpto deſtiti, laboremq́; hunc in alia proficua magis contuli ſtudia, licet & hæc non ſine ſcriptoris lectorisq́; fructu ſubeantur. Attamen quæ tum abſolueram Piſas ablegans, iuditioq́; mei pręceptoris ſubiicere placuit, rogans obnixe, vt perlecta conſcinderet, neque hoc meo, nec vllo vnquam alio reſponſo eum librum dignaretur, breui emoriturum ſententiis doctorũ omnium tanquam inutilem, & qui nullum habeat genium, iamdudum condemnatum. Propterea Argenterius cum obiter ea percurriſſet, inter aliquot ſuas chartas & ſcripta abiicit, inter quæ hoc totum triennium, & amplius me neſcio (vt qui arbitrabar iamdiu interiiſſe) delituere. Elapſa hyeme cum inquirendæ, & exactius cognoſcendæ materiæ medi

cæ desiderio fœlicem Campaniam vicinaq́;
aliquot loca peragrassem, & tandem Neapolim me ex itinere recepissem, apud Argẽterium, qui tum temporis medicinam ibidem publicè frequenti auditorio docebat, diuerti, vt ipsius conuersatione doctior euaderem, vtque domestica & familiari consuetudine ea penitius cognoscerem, ediscerémq; perfectius, quæ diuersis doctorum auditionibus distractus ab eo publicè olim in scholis non fueram exactè consequutus. Ostendit tum is multorum excellẽtium typographorum Lugduno, Basilea, Venetiis ad se missas literas, quibus eorum quilibet studiosè flagitabat, ut sibi altera operis de Morbis æditio demãdaretur, libros ante sexennium æditos iamdudum diuẽditos esse nullum vsquam in Bibliopolis exemplar quantumuis magno inueniri, perauide ab omnibus expeti & summè desiderari. Idem sollicitat Florentinus Typographus, precaturq́; Argenterium, se vt certiorem faciat, num priori impresiõi quid velit adiicere, se iam alteram æditionem maturare. Exhortor Argenterium, ne desit publico commodo & reipub. literariæ, si quæ putaret addenda aut fortè expolienda, expoliret, aut adderet, concederetq́; secundo libros hos

imprimendos, exemplariorum esse summam raritatem, quod mihi constaret amicorum literis bina solum exemplaria Louanium in tam celebrem, & frequentem doctorum hominum comuentum fuisse perlata. Hac occasione ductus Argenterius expolit nonnulla diligenter, multa ingeniosè addit, vt in libro de Generibus morborum de similaribus, & dissimilaribus partibus disputationem, in libris Symptomatum de natura, causis & differentiis doloris, & voluptatis insignem tractatum interponit, & alibi quædam alia: & quia ante hac Iulio Alexandrino satisfactum non erat, arbitrabatur non præter rem fore, si eadem opera ei curaret responsum: producit ea quæ ante quadriennium ferè absolueram, sollicitat, vt supremam manũ imponam, & quæ deesse videbantur, obiter expediam. Nam non prætermissurum se hanc occasionem, quin satisfieret iis, qui existimabant forte, sed sine ratione, aliquid scriptis suis discessisse Alexandrini censura. Et licet, vt ego ferebam, nullius momenti essent ea, quæ repræhendit Alexandrinus, tamen quia secundo æderet librum absque responso, videbatur ei ignauum, & ingenii esse imbecilli, si huius laboris & industriæ, si non assertio,

& defensio, saltē suffragium vna nō prodiret: esse præterea prudentis, & humani viri nullum contemnere: ingenuum omnes responso dignari. Valuit apud me Argenterii authoritas, vicit causæ integritas, persuasit, ferè dixerim, omnium consensus, quo conueniunt docti omnes Argenterii industriam plurimum profuisse reip. literariæ, vicisse ætatem nostram, æqualem esse antiquitati, desiderium item omnium, qui expetunt eum laborem, incitamento fuit, vt quæ olim abieceram, rursus in manus assumpta relegerem, quæq; deesse videbantur, adiicerem. Ea qualiacunque sunt, quæ in vitæ statu non admodum tranquillo, inter multos meos in studiis labores, quos partim cognoscendæ materiæ medicæ gratia in variis peregrinationib. exhausi, quos item in chyrurgico opere exercēdo perpessus sum: partim cōtinuo medicinam faciendo subeo, & perpetior, vestris iuditiis lubens, medicinæ candidati, cæteriq; lectores beneuoli, subiiceo: non extimescēs vllius, modo æqui iudicis, de me cēsuram, & arbitrium. Nam quæcunque feci, non Argenterii, sed veritatis defendendæ amore feci: quæ absolui, non tam ingenii exercendi gratia, quàm veritatis asserendæ causa absolui,

ſolui, quæ ſcripſi, & ſi res exigat ſcripturus ſum, non gloriæ cupiditate, non famæ mihi conciliandæ gratia, teſtor immortales Deos, ſed ſolum veritatis tuendæ cauſa ſcripſi, & ſi opus fuerit ſum ſcripturus. Hoc vobis ratum eſto, ſtudioſi lectores, atque ita vtriuſque rationes perpendite, quid quiſque & cuius rei gratia dixerit, deinde ex æquitate cum iuditio decernite. Scripſit Alexandrinus, vt Galenum, qui in quibuſdam humanitus errare oſtenditur, defendat, quia huius ſcriptis doctus, vt credit, euaſit. Ego Argenterii rationes aſſero, qui non tam ipſius ſcriptis, quàm viua voce arbitror me aliquid aſſecutum, vt taceam reliqua omnia obſequia, quæ diſcipulus à præceptore experiri ſolet. Eſt & mihi Galenus præceptor, nec ſcio an minus ipſius ſcriptis ſum inſtitutus, quàm Alexădrinus, quare & ego Galeni doctrinam vehementer aſſero: ſed hoc inter nos diſcrimĕ eſt, quod Alexandrinus vniuerſa ipſius approbet, omnesq; eius ſententias pro oraculo habeat: ego ſolum in iis conſentio, in quibus rationi conſentanea docuiſſe intelligitur. Argenterii, vt dixi, viua voce vſus ſum olim, & continuo vtor ſcriptis. Vtrunque igitur præceptorem habeo, ac nŏ ſatis ſcio

vter illorum plus in me præstitit, tamen neutri horum assentior, sed solum tantum ab vtroque accipio, quantum vtriusque rationes apud me efficiunt, & conuincunt. Idem vt facerem vterq; multis in locis docuit, nec arbitror vllum eorum, eum habiturum discipulum qui aliter fecerit, vel ei assensus fuerit, qui aliquid præter rationem aut experientiam protulerit. Qui vero secus facit, iners omnino sit & illiberali ingenio necessum est, ac quouis mãcipio ignauior sit oportet, vt qui nõ solum eius, qui ius habet imperio paret, sed etiam simplicibus verbis ductus alicui præter rationem assentiatur & credat. Plat. Arist. Theoph. Hipp. Gal. & quotquot sunt alii in disciplinis viri, omnes bonos viros fuisse arbitror pro doctis habeo omnes, attamen longe maximum discrimen in illis, quos adduxi, inuenio, quandoquidem præter Aristotel. Theophra. & Gal. nullum equidem agnosco, qui & docendi, & scribendi disciplinas rationem exactè calluerit, quam tamen Galenus non vbiq; obseruat, asiatica ingenii & verborum luxurie sæpe exorbitans, Aristoteles tam est suæ methodi continens, vt aliquando ea ductus ex nõ rite positis principiis in absurda quædam labatur, & impin

gat: quemadmodum videre eſt in libris de Animalibus, & quibuſdam aliis. Galenus qui vberrimo ingenio fuit, & oratione liberali ferè prodigus, innumeros propè conſcripſit libros, in qua rerum, & dogmatum multitudine plurima ſunt diſcrepantia, & vbiq; nec aliis, nec ſibiipſi conſentientia, quæ ſi quis attẽte cum iuditio legit, ſi quis diligenter in vnum colligit, ingens ſanê & indigeſtum chaos agnoſcit, quod tamen ſegregari poteſt, quæ vera ſunt excipi, quæ falſa & erronea exterminari, quæ ambigua ad rationem examinari, quæ perplexa & intricata euolui, omnia denique ab antiquis tradita methodo in formã quandam redigi & deduci queunt. Quod ſi ab Argenterio factum eſt, Deus bone, eſt ne tam ingens peccatum, tamque inſigne piaculum commiſſum? non ſunt inſignia & celebria hominum, qui idem factitarunt exempla? Nolo hic Ariſtotelem adducere, qui non ſolum antiquos philoſophos omnes repræhendit, ſed à Platone etiam præceptore ſuo vbique diſſentit. Taceo Galenum qui Ariſtotelis in multis doctrinam explodit, ab Archigegene paſsim diſcrepat, aduerſus Eraſiſtratum, & eius aſſeclas, multosq; alios doctiſſimos viros integros conſcripſit libros. Ni-

hil dico de reliquis Græcis, nihil de Auerroë, & cæteris Arabibus, apud quos etiam frequentia huius rei extant exempla, ſolum quædam de recentioribus, qui noſtro ſeculo in arte noſtra idem faciunt, adfero. Nonne Andreas Veſalius noſter in tanta doctorum maleuolentia, & inuidia de anatome conſcripſit aliter, quàm antea docuerat Galenus? nonne à cæteris omnibus, qui aliquid in ea re tradiderũt cum ratione diſſentit? Nonne Georgius Agricola Germanię inſigne ornamentum, longè diuerſus eſt in pleriſque ab Ariſtotele, Theophraſto, Plinio, & cæteris Græcis latiniſq; omnib. in ſcriptione rerum ſubterranearum: quamobrem in eo argumento longe omnem antiquitatem ſuperauit, multumq; venturo ſeculo poſt ſe reliquit. Nihil dico de Ioanne Fernelio doctiſsimo viro, qui etiam quædam noua in arte noſtra reperit, liberoq; ingenio multa aliter docet, quàm fuerint hactenus tradita. Addo his Guilielmum Rondeletium, qui in hiſtoria piſcium, quam inſigni libro conſcripſit, ab Ariſtotele, Plinio & aliis, qui de hac re ſcripſerunt in quibuſdam diſſentit. Longum eſſet omnes recenſere, qui idem vel ſcribendo, vel docendo factitarunt, quorum etiam labores quidam

& induſtriam reprimere conati ſunt, ſed plus tandem valuit apud omnes ipſa veritas quàm maleuolorum quorundam calũniæ. Eodem modo aliquid noui in arte meditari, aut quædam immutare non licebit Argenterio, quod aliis conceſsum fuit? Non licebit ratione & experientia ex antiquorũ, non indoctorum hominum, conſuetudine ſcribendi, eorum mutare decreta, quibus, & ſcribendo, & medendo ſuperiorum delere placita licuit? Nonne item licet ex bene poſitis à Galeno principiis malè ductas ab eo, concluſiones refellere, & probabiliores facere? Profecto qui alterius eſt ſententiæ, tantum abeſt, vt Galeni diſcipulus habendus ſit, vt etiam longè ab eo diſcrepet, & diſſentiat. Adeò enim nullius hominis authoritati obtemperandum eſſe docet Galenus, vt ne Hippocrati quidem ipſi, quem tamen medicinæ Deum ſæpe vocat, fidem ſit præſtiturus, niſi præceptorum rationem inquiſiuerit: quoties quæſo inculcat ne in verba alicuius iuremus, ſed rem ipſam ſpectemus, tantumq́; tribuamus cuiq́; de arte aliquid docenti, quantum iubet ea ratio, quam ſecum attulerit? quoties item ſectarum ſtudium ipſe in ſuis ſcriptis deteſtatur, & ſeruos eos vocat, qui ſectis nomẽ

dederunt? nullus ſanè liber eſt, imo nulla propè pagina in qua hæc nõ ſubinde inculcet. Quodſi hæc ita ſe habent, quod ſi ille ratioñe medicinæ Deo præferendam iudicat: eruntne Galeni diſcipuli, aut imitatores reputandi, qui illius ſcripta rationi ſubiici prohibent? nequaquam. Non enim Galenicus exiſtimandus eſt, qui Galenum legit, qui ipſius verba tenet, qui aliquot eius ſentẽtias pſitaci more proferre nouit: ſed qui illius voluntatẽ, præcepta, & principia bene poſita ſequitur, atque ex illis artem tenet, & intelligit: qui illius imitatione omnia ad rationem tanquam ad lidium lapidem reuocat, atque ipſius momentis de rebus in arte noſtra aſſerit aliquid, aut refutat. In quorum numero ſi quiſquã alius eſt, in eo ſanè nomen profitetur ſuum Argenterius, vir animo libero, magno ingenio, ſingulari induſtria, & excellenti doctrina, quẽ ego hoc meo ſcripto non aſſumo defendendum, aut ipſius decreta omnia aſſerenda: etenim hoc præter Galeni, & Argenterii doctrinam foret, illo dum ei ingenio vti conceditur, non habet opus. Solum veritatem tueri ſtudeo, quam in quibuſdam Argenterii decretis à Iulio Alexandrino præter rationem impeti video, illis reſpondeo hac

disputatione; neque propterea omnia Argẽterii rata habeo. Nam si intelligerem Alexandrinum quid melius, aut rationi magis consentaneum in medium adferre, quàm protulit Argenterius, ab Alexandrino (licet mihi nihil cum illo intercedat) non Argenterio starem. Argenterius homo est, qui & humano more fortè in scriptis suis errauit, sequenturq́; forte nos alii, qui hoc ostendent, & melius quid conabuntur: Sic hodie quidam in Vesalio obseruant, quæ exactius explicari poterant, quædam aliter tradi, vt inquiunt, quàm sunt ab eo perscripta. In Agricola quædam sunt, quæ ego aliter se in rerum natura habere arbitror, quàm is in subterraneis rebus docuit; quẽadmodum ostendo in eo opere quod de fontibus medicatis ferè absolui. In libris de Somno & vigilia iam primum æditis Argẽterius à Fernelio in quibusdam dissentit. Rõdoletium errasse in multis conatur ostẽdere Hippolytus Saluianus in eo opere, quod is de piscibus post paucos menses est æditurus. Neque hoc mirum videri debet in tam erratica disciplina, nec dum vllo authore consistente: neque propterea non reputantur non docti viri, si quibusdam eorum decretis cum ratione disceditur: nec

ſtatim ipſorum aduerſarius intelligitur, qui liberè ab illis diſſentit. Sumus omnes in arte noſtra tanquam in ſenatum cõſtituti, in quo, nõ vt pedarii ſtatim pedibus in aliorum ſententiam ire debemus, ſed vt prudentes ſenatores videre quid conueniat, atque ita ingenuè proferre de rebus, quod rationi conſonum arbitramur. Nam hic fuit rerum ordo ab artium principiis, hæc opinionum viciſsitudo, hac concertatione artes omnes creuere ante noſtra ſecula: ab ea poſtquam deſtitum eſt paulo ante hæc tẽpora, nihil diſciplinis accreuit, omnia ſordeſcere cœperunt, quæ nobis ab antiquis principia diſciplinarum omnino per manus tradita fuerant, perplexa erant inſigniq; barbarie inuoluta. At hoc ſeculo, quia honeſta illa in artificibus contentio rurſus exardeſcere cœpit, ſunt nobis multa renata: anatome perfectè & abſolutè tradita: medica materia multum exculta, in qua tamẽ deſideratur adhuc aliquis, qui infracto animo magno labore, & induſtria quid amplius aggrediatur, quàm hactenus eſt præſtitum, ingenioq; ſingulari aliquot rerum principia tradat, quibus ea cognitio fulciatur, & ſubſiſtat, quod in Simplicium medicamentorum libris mihi non omnino videtur aſſe

cutus Galenus. Si in his medicinæ partibus, in quibus plus externi ſenſus, & experientia valet, quàm iuditium & ratio, tantum deliquerunt maiores noſtri, quid credere debemus factum eſſe in cæteris omnibus, quæ ſola ratio & ingenii acumen aſſequi, & perſuadere poteſt? In illo, qui videt, qui tangit, qui cæteris ſenſibus expeditus eſt, vix vnquam errare poteſt: in hoc qui ſolum hebetiori eſt ingenio, aut iuditio minus perſpicaci, vel nihil intelligit. Quo magis explodendi illi ſunt, qui hoc noſtræ induſtriæ, & ingeniis detrahunt, in quo ſola eorum vis aliquid præſtare valet. Ferendi item illi nō ſunt, qui quod vni Græciæ, imò paucis illius ingeniis aſcribunt, vniuerſo terrarum orbi tot excellētibus ingeniis ornato inuidiosè negant detrahuntq́;. Græcia fuit olim erudita, fateor: & noſtræ regiones barbarie grandi tum oppreſſæ, & illud verum eſt. At hoc tempore quid vſquam magis barbarum, quàm ipſa Græcia, quid magis illiteratum? Contra noſter orbis omnibus diſciplinis artibusq́; excultus, omni denique politie ornatus. Quod igitur olim Græcis conceſſum erat propter cultum, qua frōte quis nobis hoc tempore in eodem caſu denegabit? Quod ſi noſtri homines

ſunt in cæteris omnibus artibus exercendis magis hoc tempore induſtrii, quàm alias vnquam Græci fuere: quid erit in cauſa, quo minus etiam ingenio in diſciplinis non poſſint illos excellere? aut, ſi hoc non conceditur, ſaltem ipſis eſſe pares. Hippocra. olim Barbaris facere medicinam recuſauit, quaſi ea ſolum ad Greciæ vſus inuenta foret: quæ res tanti apud grauiſsimum Catonem fuit momenti, vt omnes medicos Roma eiiceret, quaſi tantummodo ad ſui ſalutem, ad perniciem verò exterorum hominum Greci ſcripſiſſent medicinam. Quod etſi verum non eſt, tamen incitamento nobis eſſe debet, quo minus omnia ipſorum pro oraculis aſſumamus, ſed potius ſeligamus noſtro iuditio ex ipſorum ſcriptis, quæ vtilia fore nobis, noſtroq; vſui inſeruire poſſe arbitremur, ea colligere, quæ videntur immutanda cum ratione immutare, cæteraq; noſtro marte addere, quoad tandem abſolutam hanc artem noſtram faciamus. Ex his quæ diximus ſatis conſtare arbitror, quo modo quáve ratione hanc ſcribendi prouinciam ſubierim, præterea Argenterium nihil præter rationem feciſſe, nihil contra conſuetudinem cum antiquorum philoſophorum, tum qui noſtro ſeculo primas in diſciplinis

tenēt doctorum hominum commisisse, si in arte nostra (in qua quisque tantum valet, quantum ingenio pollet, & ratione obtinere potest) quædam aliter docuit, quàm Galenus antea tradiderat. Ex iis quoque intelligi potest, quomodo velim artis nostræ & disciplinarum studiosum erga authores, eorumq́; decreta affectum esse: quando quidem qui aliter se habet, non video quid posit egregii in arte nostra efficere. Nam interim dum scriptoribus vbiq́ue protinus credimus, multa cōmittamus in opere passim errata necesse est: & quia illi omnia compræhendere non potuerunt, sæpe nobis hærendum erit, ignari quid vtile sit, aut conueniat, nisi artem ipsam vniuersam methodo téneamus, ex qua & noua veteribus addi, & cætera inueniri, & alia (si opus est) immutari queunt. Exempla odiosa sunt, alioqui quosdam grauisimos adferre possem errores, quos in ægrotantibus, & medicis, omnia ex quorundam præscripto administrare, & iudicare volentibus, longo vsu obseruaui. Huiusmodi enim in artis operibus subinde occurrunt, & non sine graui detrimento committuntur. Verum quæ in scholis, & hominum scriptis in hoc casu obseruantur, magis sunt ridicula. Nam hic mil

le chimeras videmus produci, cum professo res distinctionibus suis, & expositionibus quibusdam fictis authorum sentẽtias inter se dissidentes conciliare student, aut omnia illorum dicta tanquam rata defendunt: Qua in re etiã hoc obseruandum est, quod rarissime inter se cõueniant, cum de vna, & eadem re loquuntur: quod tamen fieri debebat, si modo veritas vna sola, & simplex de re qualibet existit. Verum, ne longius expatiar in eo negotio, quod omnibus constare arbitror, paucis expediam, quod reliquũ esse puto. Et licet iam vobis ex iis, quæ hactenus dixi constet, quod solum veritatis defendendæ gratia hanc prouinciam subiisse, non gloriæ aut laudis cupiditate vlla, non odio aut inimicitia, non amore alicuius, tamen præter hæc paucis ostendam vobis nõ esse nouum quod tento, sed vetus & vsitatum, quodque habeat cum honestate summam vtilitatem coniunctam hæc dissertatio antiquorum exemplis non opus est rem cõprobare: etenim qui extant multi illorum libri simili argumenti genere sunt conscripti: non adduco Gale. libros aduersum alios diuulgatos: non Aristotelem, qui aut integros priores suorum operum libros, aut saltẽ priora capita hoc scribendi genere ab-


ſoluit: taceo reliquos omnes qui idem fa-
ctitarunt. Sed paulo ante noſtra tempo-
ra quum in renouatione omniũ artium fre-
quentior eſſet ſcriptionis huius neceſsitas,
aptiſsimum ei Apologiæ nomen inuentum
eſt, cuius licet frequentior apud Latinos v-
ſus ſit quàm Græcos, ex ea tamen gente ad
nos primum deductum eſt, quo illi in iudi-
tiis, vt plurimum vtebantur, cum accuſari
aut cauſam dicerent, aut ſeipſos excuſarent
vel defenderent, aut etiam culpam in aduer
ſarios torquerent. Vſi ſunt noſtro tempo-
re hoc ſcribendi genere doctiſsimi quique
Germaniæ, Galliæ, & Italiæ: nam vt taceã
multos alios in arte noſtra principes viros,
præterire ſanè nõ poſſum Manardum, Leo
nicenum, Curtium, Brachelium, Fuchſiũ
Cornarium, Turinum, Syluium, Veſa-
lium, Mathiolum, quorum controuerſiis,
& diſputationibus multa ante non admodũ
intellecta in lucem prodiere, anatome con
firmata eſt: de venæ in pleuritide ſectione
diſputatio diſcuſſa: materia medica explica
ta habetur: innumeræ quæſtiones, quas vo
cant theoricas, examinatæ ſunt & tandem
concluſæ: adeo vt ſi honeſtiſsimæ hæ diſce
ptationes non interceſsiſſent, hactenus ad
huc incerti eſſemus de multis, quæ quaſi ar

tis noſtræ fundamenta quædam exiſtunt. Horum omniũ veſtigia ſi ſubſequutus fuero, quis mihi vitio vertet? ſi pro veritate decerto, licet non ſatis alacriter, repræhenſionem nullam omnino mereor: quippe qui in duello decernit, etiamſi ſuccumbat, in honore habetur. Quare ego qui cauſæ integritate fretus, veritatis defendendæ ſtudio incenſus in hanc arenam deſcendo quo nulli obſim, multis (quibus præiudicata aliorum authoritas obeſſe poterat) proſim, veſtrum fauorem medicinæ cãdidati expoſco, ſi cauſam iuſtam foueo, veſtris ſententiis nolite deeſſe: abdicate interim ſectarum ſtudium: vos liberos aſſerite, valeat aliorum authoritas apud vos tantum, quantum vniuſcuiuſque rationes poſcunt: legite & cognoſcite omnes, Græcos, Arabas & Latinos diligenter, & quicquid docuerunt rationi conſentaneum vobis aſſumite: cætera relinquite: principia illorum in artibus, & diſciplinis ritè fundata conſeruate, illisque alia ſi opus fuerit ex natura rei addite: denique docendo, ſcribendo, vel artis opera exercẽdo methodum illam ab antiquis tantopere laudatam, excolite.

REINERI SOLENANDRI MEDICI

APOLOGIA

Qua Iulio Alexandrino respondetur pro Argenterio.



ADERAM ego vna cũ nonnullis aliis commilitonibus meis, Iuli Alexandrine, apud Argenterium, quum Antargenterica tua ad illum Patauio transmissa sunt: ac mirum profectò quanta alacritate illa omnes excepimus. Sperabamus enim fore, vt ea quæ ab illo sæpè audiuimus, & literis mandata legimus, accepimusq́;, multis repugnantibus, ac tandem aduersus æmulos vt vera tuemur, ex hominis docti, & modesti (vt credebamus) disputatione, & censura quadam, vel maximã laudemm essent habitura, si firma, & inconcussa manerẽt: vel nostros animos essent immutatura, si

ex tuo congreſſu melius aliquid huic tracta tioni accederet. Itaq; cœpi ego, eo iubente in cœtu doctiſsimorũ iuuenum ea legere, quæ (bona tua venia dicere liceat) partim riſum, partim verò nauſeam omnibus excitare, cœperunt. Quis enim non rideat, quum videat hominem logices, & aliarum facultatum, quas pueritia diſcit (patere me dicere quod veriſsimum eſſe oſtendam) ne ſcio an mediocriter peritum, Galeno patrocinari velle? quis verò non commoueatur? ſi eum qui nihil vnquam egregium in literis præſtitit, videat aſpera quadam, ne dicam immani, & barbara repræhenſione, virum doctũ, cuius opera apud omnia præclara liberaq; ingenia ſummam laudem inuenerunt, paſsim calumniari, ac pro honeſta defenſione inimicas quaſdam voces contumeliis plenas effundere? Perlecta igitur magna parte tui illius magni, et (ſi Diis placet) inſignis operis, quid de reliquo ſperãdum foret, ſtatim collegimus, & quid agẽdum eſſet, antequam diſcederemus, ſtatuere placuit: qua quidem in re, quilibet noſtrum, præceptorem ſuum rogare cœpit, vt vel negligeret penitus ſcripta tua, vel ſibi onus reſpondendi mandaretur: neque enim rem Argenterio dignam eſſe, quem

in commentariis in Hippocratis aphoriſmos, nec non in tractatione integra de febribus, in libris de Somno & Vigilia, aliiſque multis operibus expoliendis, & tandem perficiendis, hoc tempore elaborare in ſtudioſorum omnium vtilitatem, ſatius erat. Addebamus ad nos pertinere, à manifeſtis calumniis vindicare præceptorem noſtrum, quem in tanta æmulatione, tantisq́; cõtrouerſiis, ſemper ſequuti eſſemus: imò nos ipſos offendi, qui illũ audieramus, quem tu corruptorem ingeniorum appellas, & omni laude, honore, & loco indignum cenſes: poſtremò nos liberius hanc cauſam acturos cum homine turbato, & contumelioſo: ut quibus in hac ætate noſtra iuuenili, calumnias retundere calũniis, & audaciam audacia reprimere, ſi opus ſit, ſine vitio, te ipſo ad hæc nos inuitante, concedatur. Itaq; quum multa ſinguli in hãc rem dixiſſent, tandem præceptori meo placuit, vt ego (licet quiſque illorum, longè me doctior, hoc munus maiori cum laude ſubire valuiſſet) bona aliorum venia, hoc negotium tractandum ſuſciperem, communemq́; omnium cauſam agerẽ, id quod ex officio in me recepi: ne mea propugnatio ei potiſsimum defuiſſe videatur, per

quem eſt perfectum, vt qualemcunque ha beo facultatem diſſerendi, & iudicandi de his rebus, ſim aſſequutus: ſperans fore, vt quoniam iuſtam cauſam, fouerem, non ſo lum tua facilè euerterem, ſed etiam tui ſi- miles poſthac à ſcribendis nugis ineptiisq́; deterrerem. Ac ne longius abeas, neque pro defenſione iuſta, & legitima ineptis vo cibus tuo more chartas repleam, iam in a- renam deſcendo: non quod ſperem me vn quam tuo ingenio mederi poſſe, quod lon ge alienum eſt à vera libera & antiqua di- ſcendi, docendiq́, ratione, vt opera tua in minutiſsimis rebus occupata, facile oſten dunt, ſed vt alii animaduertant, non cu- iuſuis eſſe doctiſsimorum hominum bene ſcripta euertere, aut de ſuo condere, quæ artes, & diſciplinas augeant, exornent, aut perficiant: poterunt tamen illi ingenio, & induſtria deſtituti, friuolis quibuſdam re- bus, & nugamentis quærere, quo famã ſuam dilatent, quemadmodum tu, tuis il- lis enantiomatis, quæ antea mortua ſunt, quàm in lucẽ prodierunt: verum, qui vel docendo, vel quæ difficillima ſunt, ſcriben do, veram laudem ſibi pariat, haud facilè eſt inuenire. Ac multo quidem melius, vt ar bitror, tibi conſuluiſſes, ſi hæc nunquam

attigisses. Oportet enim eum qui in summis arduarum rerum controuersiis, hanc, vel illam partem suscipere, vel defendere, aut oppugnare alterutram cum iudicio sit paratus, animo esse libero, ingenio perspicaci, atque ita in disciplinis versatum, vt aptè eloqui, principia rerum agnoscere, posita seruare, & quid ex illis sequatur, quidque his sit contrarium, perspicere valeat: quæ cum in te non agnoscam, doleo profecto, quod videam te maledicendo, existimationem, & famam, siquam tibi vnquam parasti, perdere velle: nisi forte ex hac ratione laudem expectandam putes, quòd inter eos, qui aduersus Argenterium scribere sunt ausi, tu primus extiteris, & ex ipsius defensione optares tuæ immortalitati consulere: non curans interim, quid de te dicatur, aut qualisnam à viris doctis censearis. Dicis te inuitum ad hoc certamen venisse, quod quidem nemo credet, qui nouerit, te nihil aliud vnquam in vita tentasse, quàm vanam, & infrugiferam authorum conciliationem, & factum te, natumq́; ad huiusmodi res humiles tractandas, quæ (mihi crede) nomen tuum non parum labefactant. Quid verò te inuitum potissimum pertraxit, vt hanc cau-

ſam ſuſciperes? ſi veritatis defenſio te mouit, rem non debebas agere calumniis, abſtinendum erat ab omni conuitio, rationũ momentis agendum fuerat: nuda enim, & ſincera veritas, nudis argumentis, probationibusq́; ſinceris aptè defenditur. Si ob eam cauſam, quod putares te tangi cum Argenterius eos damnat, qui inutiliter in cõciliandis ſcriptorum ſententiis ſe torquẽt, erras: quandoquidem priuſquam Alexãdrine huc prodires, Argenterius ne natũ quidem te vnquam audierat. Si hunc laborẽ, vt ſcribis, communi ſtudiorum cauſa ſuſcepiſti, vt Galenicam doctrinam tuereris, neſcio quàm conſultò rem fueris aggreſſus. Etenim ſi tuo genio ductus, non aliorum quibus cum hoc negotium commune habes, conſenſum id facis: quo modo ferent quæſo qui in Galeni verba iurarunt, cum videant ſe tam frigide nullis adductis rationibus defendi? quid Galenus faciet, ſi te patrono cauſam ſuam in omniũ totius orbis doctorum hominum iudicio tueri, ac defendere conabitur? Profecto tam ardua cauſa & quæ multis modis impugnatur, nec teſtes admittit, & quæ rationibus vbique probari nequit, doctiore, ni fallor, & magis verſato patrono, opus habet. Pro

pterea quid in hoc tuo (vt appositè vocas) non iusto, sed subuentaneo opere præstiteris, ex eo intelligere potes, quod omnes docti, etiam qui Argenterii rebus inuident, agnoscant, vtq́, sæpe audiui, fateantur, te Galeni causam minus probabilem reddidisse, & longè deteriorem eam factam esse postquam pro Gal. dixeris, quàm fuerat antea solũ ab Argẽterio impugnata: atq, ob id hoc tuo labore te Argẽterii gloriã auxisse. Parcerem profectò, & ego tuo honori, si meo officio iam suscepto deesse possem. Piget enim me pueris ostendere, te logices imperitum esse, & statim in ipso limine, tibi ipsi repugnare. Omittam enim quòd exiguã partem operis Argenterii, imò quædam dũtaxat verba refellere aggrediaris, & ita fatearis, omnia quæ aduersus Galenum ille scripsit, firma, rataq́; esse, & quòd authoritate, ac testimonio ipsiusmet Galeni, quo cum honesta illi de sua professione lis est, vel infirmis admodum rationibus tua comprobes, atque etiam multa non intelligas, plurima reprobes, quæ quum sint Galeni, ipsius tamen esse non agnoscis: temereq́; exclames in vnaquaq; re, vbi nihil habes, quod dicas. Verum etsi ego in tui gratiam hæc libenter dissi-

mulo, tamen quomodo (quæſo) logicæ facultatis ſtudioſi alia legēt, quū ſtatim ab initio videant, te genera rerum confundere. Audite quæſo vos logices ſtudioſi (neque enim Platonē, aut Ariſtotelem tuarum nugarum iudices ſtatuere volo) ſtatuit Iulius Alexandrinus morbum omnem eſſe affectum, ſiue diſpoſitionem, & ſtatim poſtea concludit, lapidem, & lapidem in veſica morbum eſſe: quid dicetis vos? formabitis (vt puto) ſyllogiſmum hoc modo: omnis morbus eſt qualitas, nullus lapis, nec lapis in veſica eſt qualitas: ergo quid ſequitur? nullum lapidem eſſe morbum, & ſtupidum eſſe qui aliter ſentit. Nonne quum illa ſcribebas mi Alexandrine, rudimenta hæc tibi in mentē veniebant? Quid facient alii, quum pueri ſtatim tuos agnoſcāt errores? Gaudete vos qui Argenterii rebus inuidetis, talem vobis datum eſſe communem veſtræ reipublicæ (vt ille ait) defenſorē, qui ſubſtantiam, corpus, & qualitatē idem eſſe dicat. Certe Galenus, ſi in viuos rediret, aut loqui poſſet, nollet hunc ſibi patrocinari: quandoquidem ille fatetur, quod nos aſſerimus, lapidem vitiare conſtitutionem, illam autem vitiatā, vel (vt verius dicam) affectum qui in ea eſt præter naturā

iii C iii

esse morbum, & quis id non videt? non agnoscit? idem enim tu fateberis Alexandrine, si tua legas; & micam (vt aiunt) ingenii habeas: ais enim lapidem in cauitate vesicæ contentum, morbum esse, quòd iustam vrinæ collectionem (vt inquis) impediat: id autem, si quæras, facit, quia cauitatem reddit angustiorem, atque ita naturalem constitutionem vitiat: hoc enim ex tuis colligo: ex quo fit; vt actio labefactetur, à lapide quidem, non vt à morbo, nec primò, sed tanquam à causa morbi, & per multa intermedia: quod facilè disces, si doceri velis, (vt quilibet debet optare ea scire, quæ ignorat): Nam siquis aptè respondere velit, & proximam causam assignare, cur nequeat colligi solita vrinæ copia, (vt te authore statuamus hanc lædi actionem in eo, qui calculum habet in vesicæ cauitate) is statim dicet id fieri, quoniá vesica ad agendum reddita est inepta: vel si potentiam nõ agnoscis, (de qua postea) causam affers, quòd vesica sit malè affecta: huius autem mali causa est, cauitas angustior reddita, & occupata à re præter naturam illic posita: est autẽ res hæc, lapis. Quòd si hunc non agnoscis progressum cõtrario vtar: ne tibi desit mea opera ad discẽdum:

lapis cauitatem occupat, hæc conſtitutionem labefactat, ipſa autem conſtitutio vitiata, facultatem quam habet, ad agendum lædit, ipſa autem facultas læſa actionem, hæc opus ſuum offendit. Sunt hæc adeo clara, vt ſi illa ignores, fruſtra alia te docere laborem, & ea neſcias, quæ Galenus in libro de Naturalibus facultatibus in principio tradit, de opere, actione, facultate, temperamento, & illius cauſis, quæ mutuo ſe ſe conſequuntur. Quare noli concludere lapidem in veſica nunc morbum eſſe, nunc verò morbi cauſam. Nam quod ſubſtantia eſt, vel quod qualitatis genere non continetur, nunquam poteſt morbus eſſe: ſi modo morbus omnis ſit diſpoſitio, ſiue affectus, aut conſtitutio, vt Galenus ſentit. Hoc aliud audite vos, qui logicæ incumbitis, ſtatuit Alexandrinus in his, quæ ſunt ſecundum naturam, temperiem cauſam eſſe facultatis, hanc verò actionis: in illis vero, quæ præter naturam ſunt, nõ ſequi facultatem, ſed ſolum actionem, idéque eſſe facultatem, & actionem læſam, in quo, vt videtis, ignorat oppoſitorum eandem eſſe diſciplinam. Nam ſi ex temperie naſcitur quædam virtus, quam aut potentiam, aut facultatem nominamus, quæ æ-

dendæ actionis proba, causa est, nonne etiã necesse est, vt ex intemperie, labefactato scilicet temperamẽto resultet vitium aliquod facultati oppositum, quod deprauatarum aut abolitarum cæterarumq; vitiosarum actionum sit causa? vt eo modo inter vitiatam actionem, & intemperiem sit medium quoddam, quemadmodum facultas inter temperiem, & actionem est media. Si enim id quod secundum naturam est, in vno ponitur: aut si vnum alterum præcedit, vel alterius est causa: aut multa sub se continet, vel denique alio modo se habet, & dicitur: nonne oportet ea, quæ præter naturam opposita sunt, penitus illis correspondere? dicetis profecto ita esse, & clamabitis statim hunc prius relegãdũ esse ad logicos, quàm audeat amplius, vel loqui, vel certe aliquid scribere, aut tentare, quod in hominum cõspectum venire debeat. Dispeream, si is intelligat quod eo loco scribit. Dicit enim vitiari actiones, à temperamento, nulla mediãte virtute, aut facultate: postea verò inquit, lædi simul facultatem, & actionem: deinde verò addit, idem esse facultatem, & actionem læsam in his, quæ præter naturam sunt, in iis verò, quæ sunt secundũ naturam, illa inter se esse distincta. An for-

tasse negat illa esse in illis, quæ sunt præter naturam, eo quòd non videantur, vel quòd simul labefactentur: nonne Galenus in libro de Differentiis morborum, & passim alibi colligit numerum, & naturam eorumque præter naturam accidunt corporibus, ex numero, & natura eorum quæ secundum naturã iisdem corporibus insunt? Pudet me diutius in hac re tecũ agere: quare ad alia transeo, etsi superfluum esse duco, plura afferre, quippe cum hæc satis ostendant, te Argenterii rationes nequaquã percepisse, nec intellexisse quæ Galenus de hac re memoriæ prodidit, tanto quidem minus illa, quæ dialectica statim in suis rudimentis docet. Quod verò confutare niteris, iam aggrediar. Scribit Argenterius definitionem morbi, quam tradit Galenus non separare morbos à symptomatis. Nã si morbus est dispositio præter naturam, quæ primo lædit actionem, dicat autẽ Galenus, initio libri de Differentiis Symptomatum, dispositiones corporis, quasdam esse morbos, alias symptomata, alias caussas morborum, & symptomata triplici genere contineri, colligit vtique Argenterius rectè quibusdam symptomatis conuenire morbi definitionem. Sunt enim illa dispositio

nes,& reperiuntur nonnulla,quæ primo,& immediatè actiones labefactent,quo fit, vt vniuersa morbi definitio illis competat. Affert autem inter symptomata,dolorem, colorem, potentiam,&actionem vnam exempli gratia,coctionem, sed labefactatam.

At aliis omnibus relictis, noster Alexandrinus, concoctionem sumit refellendam: id quod sanè fœliciter,vt alia,facit. Fatetur.n. dispositionem esse,quum id non improbet: negat autem primo nutritionem lædere, quoniam inquit inter coctionem & nutritionem media est distributio alimenti per corpus,& appositio,& vnio, quasi multum referat actionem vnam pro alia sumere,exẽpli gratia. Si forte concoctio non aptè id ostendat quod docetur, sume tu quamcunque velis actionem, quæ immediatè præcedat aliam actionem,nec labora in exemplo refellendo, præcedat si velis concoctio distributionem: primò, dicit hanc Argenterius morbum esse,quoniam dispositio est, & proximè lædit aliam actionem, quum ipsa est offensa: quanquam tamen illud perperam scribis, ante nutritionem sequi distributionem ipsam concoctionem, quasi de concoctione quæ peragitur in ventriculo,& hepate perpetuò loquendum sit, nec

ſatis ſit rem intelligere de coctione, quæ in ſingulis partibus obitur, quam nulla ſequitur diſtributio ante nutritionem, nec (ſi vis vt dicam aliquid liberius) appoſitio, vel vnio: prius enim apponitur, ſi neſcis, nutrimentum partibus, quæ nutriri debent, deinde alteratur, & aſsimilatur, quod eſt concoquere, aſsimilationem ſequitur mutatio: quum enim reſtituitur ſimilis ſubſtantia ei quæ diſſoluta eſt, tunc nutritio fit, aſsimilat autem concoctio, & nihil aliud eſt concoquere (Galeno etiam authore) quam aſsimilare, vt præceptor meus ſæpe docuit, & tu aliquando hæc ab eo tradita, & rectè demonſtrata, ſi neſcis, leges, & diſces. Sed (vt dixi) noli exempla calumniari, quæ negligétius etiam, à magnis ſæpe autoribus, ponũtur: ſume aliquam actionem, quæ te iudice vitiata ſit, & aliam lædat ſubſequenté, & proximam, poſtea contra illam diſputa, ac doce falſa eſſe, quæ tradit de hac re præceptor meus, & oſtende quo modo morbi definitio illi non conueniat. Quod verò dicit Argenterius non recte cauſas morborũ vocari diſpoſitiones à Gale. tu ita refellis, quaſi ille neget aliquas cauſas morborum diſpoſitiones eſſe non poſſe, quod nõ facit, ſed hoc vult, diſpoſitiones non recte diuidi

in morbos ſymptomata, & cauſas morborum. Vt enim illud verum eſt, ita hoc falſum: propterea ſcilicet, quod illis omnibus competere debeat nomen generis, quæ ex illius diuiſione naſcuntur. Quid verò alibi ſcripſeris de nomine διαθέσεως, non eſt quod curé, nec quid tu fingas ſpecté. Illud certè ſcio Galenum in definitione morbi, vt ſatis docet libro ſecundo methodi, & in libro de Differentiis Symptomatum ſpectare illam permanentiam quæ temporis longitudine circunſcribitur, niſi quæ ipſe ſcripſit, velis planè negare. Nec recipienda eſt eorũ opinio, qui cum viderent Argenterii rationes Galenum vrgere, aiunt aliter diſpoſitionis affectusq; nomen à Galeno ſumi, quàm ab Ariſtotele. Hunc enim illa ſolum ponere in genere qualitatis, Gal. verò non ſolum qualitates, ſed ſubſtantiam magnitudinem, & numerum rerum, affectus, diſpoſitionesq; vocare: Nam vt id nunquam apud Galenum inueniét, vtpotè qui definiat, diſpoſitionem eſſe qualitatem permanentem: paſsionem verò eandem, quæ adhuc eſt in motu: ita abſurdum eſt credere eos qui communi lingua vtuntur, tantopere diſcrepare in nomine ab omnibus vſitato, & docendis diſciplinis neceſſario. Sed

ne minime quæque prosequi velle videar, & interim insignes errores tuos, infinitos silentio præterire: accedo ad ea quæ scribis de colore corneæ tunicæ, id quod certè inuitus facio: opto enim præceptorem meũ à calumniis vindicare, sed interim existima tionem tuam non offendere, quàm certè in tegram seruare non possum, quum similes tui errores sese mihi offerunt: quos statim scio omnibus notos fore, etiam si à me, vel leuissimè detegantur: qua in re non iam lo gicos, sed medicos iudices aduocabo. Scri bit præceptor meus sequi ex definitione Galeni, colorem flauum, aut aliter mutatum morbum esse, siquidem affectus est, qui primo visionem vitiat: concedis Alexã drine affectum esse, sed negas ipsum labefactare actionem. Hanc enim offendi scribis morbo, qui in hoc casu est in conforma tione, lædi autem conformationẽ eo quod meatus, qui in cornea tunica sunt insensibiles ab humore illic contento, sunt infarcti & obstructi, ex quo fit vt spiritus nequeãt expeditè transmitti, adeo vt substantia ipsa humoris, quælibet, nullo colore infecta, idem efficere posit. Qua quidem in re primum aperte à Galeno dissentis, qui in libro primo, de Causis Symptomatum

hæc ad verbum ſcribit. Cornea tunica ſi denſior facta fuerit obſcuritatem affert, etiam paulo poſtea, ſi verò humores non multi, ſed colore mutato ſint, pro eorum natura error in viſu reſpondet, vt in Regio morbo fieri videmus. Deinde quomodo potes ſtatuere morbos eſſe, in conformatione in cornea tunica, & in illius meatibus, qui vel non ſunt, aut ſenſum omnem effugiunt? id te non docuit Galenus, & clamat ſe abs te lacerari, & peruerti, non defendi. Eſt enim vitium in conformatione partis orgnanicæ morbus, eo authore: nequaquam verò ſimilaris partis, cuiuſmodi eſt cornea tunica. Eſt vitium viarum, quæ neceſſariæ ſunt ad inſtrumentarias partes rectè conſtituendas, quæ ſenſibus omnibus patent, nequaquam verò meatuum, quos fingis eſſe in cornea tunica, ſolida, dura, & craſſa. Sed hæc tibi omnia dare volo, humorem inquam eſſe qui obſtruat tuos illos meatus, & impediat ſi Diis placet ſpiritus tranſire per illorum anguſtias: illud certè nemo tibi concedet, ex quocunque humore, abſque colore, hoc modo labefactari actionem. Ponas enim pituitam eſſe illic contentam, illa obſtruat ſi velis, illos meatus: verum nunquam efficiet, ne flaua om

nia appareant: quoniam colorem non habet flauum; ex quo fit, vt flaua conſpiciantur omnia: quia flauus eſt in humore color: alioqui vbi diuerſa eſſet ſubſtantia, diuerſo colore prædita, ſi nihil conferret color, fierent eædem circa colorem hallucinationes. At aliter fit: rubra enim aliquibus, aliis flaua, nonnullis nigra apparent, quæ videntur: nimirum quoniam color diuerſus hanc differentiam parit. Poſtremò obſtructio illa quam tu fingis, cæcitatis potius cauſa eſſet, quàm vt efficeret has hallucinationes in coloribus. Quum enim dicas occludi eos meatus, ad portionem anguſtiæ, minui viſionem oporteret, vt in veris obſtructionibus oculi, & aliarum partium fieri, omnes nouerunt. At quum omnia videantur, ſed duntaxat alio colore infecta, neceſſe eſt, vt tuum agnoſcas etiam in hac re errorem: & cum Galeno fatearis, præceptorem meum recte ſentire: nec te pudeat poſthac meliora ab illo diſcere, quem Galeni interpretem ſæpe videas, quod plane agnoſceres, niſi ſectarum patrocinio nimiũ addictus eſſes. Hoc loco etiam notanda venit veſtra inconſtantia, qui Galeni defenſionem ſubiiſtis. Nam Fuchſius longe aliter hunc errorem, quam tu, excuſat, vt facile

le vos ipſos opinionum incertitudo, & inſtabilitas conuincat. Cœterùm morbi definitionem, quam Argenterius tradit, refellis. Si ea Galeni eſt, vt ipſe docet in libro de placitis Platonis, & Hippocratis: ſi vera eſt, nulliq; alteri conuenit, ſed ſoli morbo, & omni, quare veram & legitimam non agnoſcis? ſi eam non intelligis, quid oppugnas? aut ſi intellectam diſsimulas, quid calumniaris? nam quid conſtitutionis nomine intelligendum ſit, ille apertè docet, compoſitionem ſcilicet corporis intelligẽdam eſſe. At tu hoc non intellecto colorẽ ex inſolatione, affectum eſſe proponis, ad illius definitionem illudendam: quaſi color compoſitio ſit, aut illorũ aliquid, quæ corpus componunt: aut vitium quod in cõpoſitione reperiatur. Quomodo verò verbum præter naturam, intelligendum ſit, in morbi definitione, apertiſsimè idem explicat, quòd ſcilicet conſtitutio illa pręter naturam exiſtat, quæ in quadam excellentia, & euidenti exceſſu ſit poſita: quam ſignificationem quum tu refellere deberes, diſsimulas eſſe ſcriptam, & interim paginas integras in nugis conſumis, poſt quas tandem errorẽ tuum agnoſcis. Quod ſi morbi ex actionibus læſis cognoſcuntur, non

tamen propterea ex illis definiri debent. Sic enim ex operibus, quæ actiones sequũtur & ex morborum causis (hæc enim morborum signa præbent,) definiendi essent. Quod verò de genere, & differentiis morborum refellis, pudet per Deos immortales me tractare: cogor enim rursus aduocare pueros, qui logicæ incumbunt iudices: Video Porphyrium, & ipsum Aristotelem, nec non Galenum, ac vt vno verbo dicam, omnes doctos exclamare, hic logicam ignorat, seipsum non intelligit, Galeno aduersatur. Audite vos (quæso) pueri: contendit Alexandrinus; differentias essentiales, (vt vocant logici,) genera, & species esse, errareq́; Argenterium, qui hæc nominibus distinguat: Quid ad hæc vos dicetis? quid aliud quàm quod hæc doceat natura & vocib. distincta, in sua Isagoge Porphyrius, & nota sint lippis, & tonsoribus, quòd si tu hæc non intelligis, exemplis te, docebo, quod ignoras. Animal est genus Bos est species, rationale, & irrationale sunt differentiæ, vide (quæso) an hæc inter se sint idem. Sed attendite quomodo ex Galeno rectè suam probet sententiam, inquit ille, audiamus Galenum sic ad verbum ferè dicentem. Neque enim (inquit)

differentia vnaquæque addita generi,confert ad ſpeciei generationem, ſed ſi quæ demum ex propria generis diuiſione fuerit. Etenim hæ ſolæ differentiæ ſunt, quæ ſpeciem conſtituunt. Audimus vtique & videmus, quid Galenus dicat, nempe differentiam conſtituere ſpeciem, ſi modo vera ſit generis differentia, & tria illum ponere agnoſcimus, inter ſe natura diſcrepantia, genus, differentiam, & ſpeciem: quod ille non animaduertit, qui quum ſtatuat ab initio genera,differentias ſubſtãtiales,& ſpecies idē eſſe, poſtea Gal. verbis diuerſa hæc oſtendit, & ſuo gladio ſeipſum confodit: Quod autem ſcribis reliquas differentias morborum reiiciendas eſſe, ſolum docendas,quæ ab eſſentia deducuntur, vide(quæſo) quàm neque tibi ipſi in eo conſtes, nec Galeno conſentias: quãdoquidem is cum alibi, tum primo de differētiis febrium,docendas omnino,& diſtinguendas contēdit, has eſſe differentias. Tu verò nonne aſſeris ea, ad prædicendi, dignoſcendiq; (vt inquis) artem & ad alia facere? quod ſi verum eſt, & morbi hoc modo differre videntur: quur non inter morborum differētias numerandæ ſunt, & eo loco tradendæ,vbi morborū differentiæ ex profeſſo tradi, &.

doceri debent? Verum vt omnia confuſe, & ſine methodo didiciſti, & doces, ita opinor, ſi quæ methodo, atque ex arte tradita legis, ordine ſuo, tuum imbecille ingenium obnubilant, quod in clara luce, caligantibus oculis euenire videmus. Sed pudet me diutius in hac re verſari, & puerilia hæc tua tractare, quæ omnibus vt ſcio ſtomachum mouebũt. Iam uerò audite, quid repræhendat bonus iſte vir. Ponit Argenterius genus morbi partium ſimilarium, in forma, ſiue in tota rei ſubſtantia: quo quidem genere continẽtur febres peſtilentes: in quo maxime ab omnibus laudãdus eſt: quòd rerum capita explicauerit. At hic neſcio quo modo, omnia calumniatur, nec agnoſcit, quantum debeat his, qui meliora illum docere cupiunt. Agnoſcit quidẽ Alexandrinus hoc genus morbi, quod eſt in tota ſubſtantia, ſed dicit à Galeno prætermiſſum, quòd methodo compræhendi non poſſet: ſed dic quomodo nequeant genera rerum methodo compræhendi? Erãt enim hoc pacto genera medicamentorum, quæ agunt à tota ſubſtantia, vt purgantia, antidota, à Galeno omittenda, quum eadẽ ſit in vtriſque ratio. Videte (rogo) hominis acumẽ ingenii. Dicere ſolet Galenus,

& rectè quidem, ea quæ tota ſubſtantia agunt, à medico non poſſe aliter quàm experientia cognoſci: hic verò trahit id, ad eam tractationem, quæ ad conſtituenda genera rerum pertinet: quaſi aliud non ſit ſingula, quæ naturam habent in tota ſubſtantia cognoſcere, aliud verò illorum mentionem facere, dum genera rerum quærũtur: Non poſſunt purgantia cognoſci niſi experimento, an propterea medicus non poterit, quum genera medicamentorum inueſtigat, ſtatuere quoddam genus eſſe, quod purget, aliud quod aliter corporibus ſuccurrat? Conatur & hoc loco Alexãdrinus exempla poſita refellere: quod ſcilicet febris peſtilens, non tota ſubſtantia, & forma, ſed putredinis excellentia ab aliis differat: quòd ſi audiuiſſet quæ præceptor meus aliàs de hac re publicè docuit, intelligeret profecto aliter rem habere. Nã ſi maior quędam in his eſſet putredo, maior quoque neceſſario eſſet calor, plus etiam humoris. quum tamen ſæpe videamus, huiuſmodi febres, minimum habere calorẽ, & intus & foris: nec minus corpora ſicca, quàm humida inuadere: nec non medicamẽta, in quibus nihil perpetuum eſt, nunc frigida, nunc calida, nunc ſicca, nunc

humida talem malignitatem perimere:tam quã nihil, aut certe minimũ conferat, qualitas, sed subiecta substantia: Quod si Gal. bolum armenam pestilenti febre, quæ suo tempore grassabatur, insigniter contulisse scribit: non tamen propterea credere debemus, adiutos fuisse ægrotos ob vim exiccantem, quam alia quoque habent, quædam æqualem, nonnulla maiorem, aut minorem, sed ob suam formam, quæ nullis aliis est communis: aut si iuuit bolus armena in ea peste, non est credendum, quod idem possit in aliis præstare, quæ diuersam formam obtinent. neque enim pestes à nobis cognitæ, ea habent symptomata, nempe crebra, & maxima vlcera, aliaq; mala, quæ Galenus commemorat in peste, quam describit. Vnde mirum non est, si nos frustra in febribus nostris pestilentibus, remedia à Galeno commendata adhibemus. Ita forte in ea peste, quam is describit, & quam graphicè depinxit Lucretius, nõ iuuisset terra illa candida Melitensis, qua tamen hoc tempore subinde in pestilentib. febribus magna cum vtilitate vsi sumus, & vtimur. Hæc obiter te volui docere Alexandrine, vt tibi omni ratione prosit, præceptoris mei opera, & diligentia. Quòd si

tu candido animo esse miris laudibus extol leres, cũ reliqua omnia, tum maximè quæ de dissimilarium partium morbis vtilissime disserit ille, quæ etsi à Galeni decretis non abhorrent, tamen à nullo alio habes probata, & certis rationibus firmata: sed quia hunc vnum finem tibi proposuisti calumniari, & nugari, ne quis perspicere valeat quàm doctè; quamq́; appositè, illa sint ab eo conclusa omnia spernis, quæ vera sunt contemnis. Quòd si vis omnia ingratitudine pensare, saltem quod tui muneris est, prius intelligere debes, quæ rectè dicuntur, quàm illorum confutationem aggredi. Nam quod illic scribit de linguæ mutilatione non es assequutus, & turpiter ab erras, quum illius vitia ad vniuersum corpus refers. Est ne vnquam partis instrumẽtariæ morbus, totius morbus, vt tu scribis? valentibus enim reliquis partibus, vna aliqua excepta, nõ potest in toto poni morbus. Præterea mutilata lingua, quid quæso decessit corpori, quod numerum constituebat? Si ablata aliqua linguæ particula authore Gal. vitium ponendum est in numero: quare is idem cum ea vehementer intumuit, moleq́ue sua increuit, morbum non refert ad numerum, quod omnino facere

debebat: at is (ut ſcis) in magnitudine hoc vitium collocat. De carnis excreſcentia nihil habes, quod dicas. De pilorum verò defluuio, ignoras quod dicis, & à Galeno diſſentis, quando ſcribis in his ponendum eſſe morbum, quòd vſum aliquem præbeăt animăti, oblitus eius, quod ſcribit Galenus in libro de differentiis morborum: nempe illorum, quæ actionem efficiunt morbos eſſe: eorum verò quæ vſum præſtant, & ad actionem non conferunt morborum eſſe cauſas. Non vides autem quo modo morbus eſſe non poſsit eius, quod non nutritur in corpore: tibi dicam, ſi uis, quoniam morbi partium ſunt aut ſimilarium, aut diſſimilarium, pars autem non eſt, quod non nutritur: quod etiă ſcire debebas cum per peram ſcribebas lapidem in veſica partem additam eſſe, atq; ob id morbum conſtitue re in numero. Quod ſcribis pilos nutriri ex excrementis, & falſum eſt, & à Galeni placitis alieniſsimum: quod ſi nutrirentur, augerentur vtiq; in omnem dimenſionem, at hoc non faciunt: quòd ſi id non aſſequeris, lege quæ Galenus cum alibi, tum de nutritione ſcribit in libro de naturalibus facultatibus, atque intelliges pilos non nutri, etſi in longitudinem excreſcant, & pro

trudãtur. Dicere vitiliginẽ esse symptoma, & alibi morbum, alibi ex intemperie, & morbo nasci absurdum est. Est quidẽ symptoma, & oritur ex morbo, nequaquã verò morbus est. De vngue oculi non est statuendum ex collatione cum reliquis (vt tu facis) sed simpliciter ex Gale. Nam quam tu facis collationem in vno, in cæteris etiã inuenire est, quandoquidem & lapis in corpore, non prorsus ex re præter naturam procreatus est, & quendam sibi humorem in corpore refert: atque ob eam causam, nõ dicendum est, eum secundum naturam esse. Nam is humor in eum vsum non est in corpore, vt talem formam eo in loco assumat. Sed hæc omittamus, accedamus ad illud egregium Argẽterii paradoxum, quod scilicet morbus in solutione continui proprius sit instrumentariis partibus; nequaquam verò communis etiam similaribus. Sed de hoc (quæso) tractemus soli, ne tam insignes tuos errores, ne dicam stupiditatẽ agnoscant alii, qui te defensorem rerum suarum acutissimum, & eximium esse putarunt: illis enim (ut scio) stomachum, nobis verò risum mouebis. Nam quum de vnione partis similaris agatur, intelligis vnionem, quæ ex mistione qualitatum fit,

ſupina quadam, & planè ridenda interpretatione: agimus enim Alexandrine de continuitate, ſiue continuo partis ſimilaris, ſed an Galenum legiſti, qui ſe authorem huius nominis eſſe ſcribit? iam dicas continuitatē pro vnione, & vide quid facias, dices ne cōtinuitatem temperamēti? aut qualitatum? aut quid tandem dices? nonne agnoſcis tuum errorem? non vides omnes exclamare qui tibi fauere debebant? Nonne ſentis Galenum aſſerētem ſe nunquam intellexiſſe talem vnionem ſcilicet temperamēti, quū de morbo communi, qui eſt in ſolutione cōtinui agit. Vos aduoco teſtes, qui cupitis Argenterii placita euerti, te conſtituo iudicem Galene, qui ſectarum patrocinium deteſtari ſoles, dic an vnquam intellexeris talem vnionem qualitatum, & elemētorum? cum in vnitatis ſolutione morbos quæris? Quo pacto quæſo different morbi, quos ponis in ipſa intemperie, ab hoc quem iſte fingit intelligi de vnitatis ſolutione. Nam ſi vnitatis, & ſolutionis nomine coniugiū & diſsidiū temperamenti, qualitatumq́; intelligamus, nihil aliud profectò intelligere poſſumus, his nominibus, quàm temperiē & morbos, qui ex intemperie naſcuntur, in partibus ſimilaribus. atque ita non de com

muni, ſed proprio ſimilaribus morbo age mus, & volentes patrocinari Galeno, mul tis modis ab illo diſcrepabimus, qui de cō- muni morbo agit, non amplius de intem- perie, in qua elementa ſeſe excedunt, ſed de eo quod continuum, & contiguum vo cant philoſophi. Solent mi Alexandrine in hæc abſurda incidere, vt ſcilicet nec ſibi, nec aliis conſentiant, qui authoribus plus æquo ſunt addicti, atque omnia illorũ pla cita, inſano quodam amore, vel errore po tius, tueri ſtudent. Verum vt aſſequaris exactius rem ipſam hoc intellige: Argente rii ratio vna inter cæteras, quæ tibi diluen da venit, ſic firma perſiſtit. Quod non in greditur ſimilares partes, vt naturam eorũ conſtituat, & actiones ædat, eius nocumẽ tum illi non facit morbum. At vnio illa eſt quæ non facit in ea parte, vt bene attrahat, retineat, concoquat: nam hoc tẽperiei mu nus eſt: ob id neque eius ſolutio, earum a ctionem labefactare poteſt. Quod verò de vſu partis ſcribis, nec intelligis, vt ſatis docet tua tractatio confuſione plena, nec conſentis cum Galeni doctrina, & multo minus ad propoſitum facit. Ais enim mor bum eſſe, quum primum læditur vſus, & vnà cum illo actio: id quomodo ſtatuere

poteris? nã ſi morbus primo lædere debet actionem te authore, quomodo ſtatuere potes, eam primo lædi, ſi vſus primum læditur? Deinde ſi omnis vſus tendit ad actionem, vt tu vis, qua ratione poſtea ſcribere potes, non ob vſum, ad quem fabricata eſt pars, actionem labefactari? Præterea quo pacto illud perpetuum eſſe poteſt, morbũ eſſe cum primaria ratione actio ab affectu aliquo impeditur? Nam ſi antea dixiſti, primum lædi vſum, & cum illo actionem, nequit profecto actio ab affectu primum vitiari, ſed neceſſe eſt, vt ſæpe interueniat vſus. Statuere autem intemperiem partis ſimilaris, per accidens fieri, morbum partis organicæ, hoc certè eſt ignorare diſtinctam eſſe compoſitionem, & naturam partium. Ac neſcio quomodo tu teipſum perdis: cum eodem loco partium, quæ actioni conferunt morbos eſſe dicis: cauſas verò morborum vocas, non autem morbos, affectus illarum, quæ vſum aliquem præbẽt: quod quum vtcunque animaduertiſſes: duplicem illum tuum vſum fingis, vt prorſus à Galeno diſſentias, qui non niſi vnum ponit. Ac quum ignores quod refugium tibi præberi poſsit, eo perduceris, ut uſum iam dicas actionem eſſe, & nihil hæc inter ſe diſ

ferre, sentias. sed statim postea subiicis lædi usum, & continuo ipsam quoque actionem: quasi hoc sit idem ponere res diuersas, quæ simul fiunt: sic enim actio, & opus idem forẽt, nimirum cum simul & actio & opus offendũtur. Omitto quod nemo possit ex eo tuo capite aliquid colligere certũ. Ac si uis ut dicam quod sentio de tua confutatione, vel defensione: videtur mihi rudechaos, indigestaq́; moles: non enim cogitas quid conueniat ad refellendum quod tibi proponis, sed satis esse putas, si in omni re aliquid effundas, quod confusum, & perplexum sit, nec aliquo principio initatur, vt ita facilius rudioribus possis imponere. Illud verò quod rursus dicis, vnionem esse mistionis rationem, quo authore asserere potes? aut quis vnquam ex philosophia in medicinam deduxit, vt pro cõtinuitate partium qualitatum vnionẽ intelligat? aut si ita est, quomodo fuerit vnio, similaribus, & instrumentariis partibus communis? constat ne instrumentaria pars ex mistione elementorum? quid respõdes? quid rationum vim subterfugis? Ad ea verò, quæ de figura affert præceptor meus, scilicet contortas & male figuratas partes, nutritionem non minus impedire, quàm con

tinui ſolutionem, quid dicis? Miraris autem quomodo diuiſæ partes attrahere alimentum, illudque idem apponere ſibi valeant. Quòd ſi intelligeres attractionem naturalem eſſe actionem, quæ nequit vitiari niſi temperies vitietur, intelligeres profectò quod rectè ab eo ſcribitur: Quur non pariter miraris? quomodo diuiſæ partes, & ſimul concauæ ex perditione ſubſtantiæ non ſolum nutriantur, ſed etiam augeantur? An non etiam illud eſt obſcurum, quod ſcribis: non diuiſas partes, ſed continuas, authores eſſe in vulneribus, generationis carnis: quaſi non videas inter duo extrema diuiſa, nequaquam verò in continua, carnem gigni: & extrema ipſa coaleſcere. Audite quæſo vos medici, quid iſte ſcribat de apoſpaſmate: putat enim ex Galeni opinione, in compoſitione, ſiue ſitu vitium eſſe. Qua in re vel nunquam vidit, vt arbitror, Galenum, aut certe nunquam intellexit. Nam ſi huius generis eſt, vt putas, morbus, quorſum oportebat Galen. vbi ſolutæ vnitatis morbos recenſet, dicere hunc eſſe proprium morbũ inſtrumentariæ partis? quur enim id non fecit, quum de morbo in compoſitione ageret? Aut ſi in compoſitione eſt morbus, quid erat opus dicere propriũ

esse instrumentis affectum? an id nō statim patet? nonne tu ipse agnoscis etiam præter mutationem situs, aliud genus morbi in apospasmate, quum scribis instrumentarias partes auelli, & seiungi? quod si auulsio hæc impedit actionē, vt certe impedit: (siquidem seiunctæ, & a se inuicem separatæ similares suis locis positæ nequeunt organum sanum reddere, & aptum ad suas functiones obeundas) sequitur, contiguitatem illam: si nolis continuitatem vocare: vt Galenus uocat, communem affectum his, & similaribus partibus, requiri ad rectam instrumenti cōstitutionem, & in ea vitiata morbum ponēdum esse alium, præter quàm in situ: Quid ais colligi ex libro de medicatrina, quum tu ipse fatearis aperte, Galeno apospasmatis nomen, esse nomen solutionis continui. Nonne vides te, nec cum Galeno, nec tecum consentire: tantum profecto valet hoc patrocinandi sectis studium, vt eos qui huic se tradunt ineptire, & in absurda quæque labi faciat. hoc vnum in te expendi, & vidi, quod vis Argenterium uidere, & expendere. Quòd si tu hæc perspicere potuisses, non constituisses vnionem esse rationem mistionis elementorum componētem partes similares, ut post-

ea poneres arteriæ, aut uenæ non integram diuiſionem, morbum eſſe ſimilaris partis in ſolutione continui: quaſi alia ſit ſpectanda unio, quàm quæ abs te antea poſita eſt, niſi exuto omni pudore, audeas fateri, miſtionis rationem per huiuſmodi uulnera lædi, coeuntibus ad rectam temperiem quatuor elementis, & illorum qualitatibus. Qui uerò ignorant, quid ſit docere, nominibus paſsim abutuntur. Galen. autem et ſi poſteà legem ſuam haud obſeruat, id tamen admonet faciendum pluribus in locis: tum maximè in libro de pulſib. quum differentias pulſuum quærit propriis nominibus explicans, & in hoc refellit antiquiores medicos, qui hanc proprietatem cõtempſerunt. Legiſti ut puto quæ aduerſus Archigenem de dolore dulci, & aliis nonnullis nominibus, quæ aptè exprimunt naturam doloris infeſtantis ſcribit acerrimè Galen. Tu uerò præceptori meo uitio uertis, quòd Galenus probauit, & ad uerbum ſcribit, initio libri de Differentiis morborum, ubi inquit, uidendũ eſt, qui, quotue morbi ſint. Quid ergo illum repræhendis: qui idem cum eo, quem defendendum ſuſcepiſti, ſentit, & docet? Verum hoc tibi condonandum eſt, quod eam politiem non feras, nam
cum

eum ipſe aſperè, confusè, & inepte loquaris, mirum non eſt, ſi elegãtiam, & proprietatem verborum, ſine qua nequeunt diſciplinæ recte tractari, alacriter ſine ratione contemnas, quo quidem ſublato fruſtra operam impendo, vt ea te doceam, quæ ſequuntur, quæ quilibet admirari, & amplecti debet, quum videt omnes ſolutionis cõtinui ſpecies diſtinctas, & propriis nominibus nũcupatas eſſe, ſeruata interim quantũ licuit antiquorum authoritate, & vocabulorum vi, quoad eius fieri potuit retenta, quã tu vbique violas. Nam σπάσμα, ſolutionis continuitatem, σπασμὸν verò motum deprauatum neruorum perperã fingis à Græcis dicta: lege enim Hipp. aphoriſm. vigeſimumquintũ, libri quinti, vbi σπάσμα pro conuulſione ſumit, adeo vt nequeas aliquid in tota hac tua oppugnatione excogitare, quod Argenterii placita refellere poſsit. Si tibi non placet ſingula propriis nominib. nuncupare, loquere tuo more, & ſine illos his delectari quibus ſunt ſcripta, politiori ingenio præditis: nam tu nõ ſpectas, quid recte dicatur, ſed an à Gal. vel ab alio, cui te ſemel addixiſti ſit proditum. Hæc vt præfatus eſt præceptor meus tibi, & tui ſimilibus non ſcripſit, adeo vt temerè exiſtimes

te offendi, quem nunquam ne natum quidem eſſe nouit, nec particeps ſui operis eſſe cupit. Cæterùm quæ de morbo compoſito in ſimilaribus, & inſtrumentariis partibus ſcribis, attingis quidem, ſed tam leuiter, vt nihil penitus dicas, quod ad rem faciat: quod quum ſtudioſis omnibus patere putem, nequaquam in ea re laborabo, quare reliqua excutiamus, ſi quid fortè melius poſthac dicturus ſis, quàm hactenus dixeris. Differentias verò morborum à certis fontibus quæſitas, & ductas miro quodam artificio, quod nunquam tu, nec tui ſimiles excogitare potuiſſent, quur nugamētis tuis eludis? qua in re ſanè oſtendis, quàm male ſano ſis animo, aduerſus illos, qui conantur aliquid recte condere, eaq́; conſtituere, quorum fundamenta nulla adhuc extāt apud eos, qui artem noſtram literis ſuis illuſtrarunt: quid non licet hoc modo confutare, calumniari, ſingula ad vnā partem medicinæ trahere, quæ omnibus communia ſunt, & propterea communem tractationē poſtulant, arte, & methodo conſtantem? Scripſit hæc (inquis) Gal. ſparſim, & hoc ipſi nouimus. Sed videtur ne tibi hoc ſufficere, ſi quis de rebus ita ſcribat, vt ignores vbi ea quæras? & quæ ſint illius tractatio

nis, capita? quæ ponenda principia? & quid tandem ex illis naſcatur, & reſultet? Hæc ſi contemnis, videris mihi profectò planè ineptus, & ad quiduis potius exequẽdum, quàm ad artem hanc noſtram excolendam natum. O lepidum ingenium, ò egregium Galeni defenſorem, qui communes & methodo certiſsima conſtantes tractationes contemnit: quique eum excuſat, qui nec ſemina quidem huius ratiõis tradidit: eos verò accuſat, & inculpat, qui non ſolũ rem inuenerunt obſcuriſsimam, maximeq́; neceſſariam, & artificioſam: ſed etiam vna ac eadem re, vnaq; opera diuidendi normã, & modum docent, quo quis in reliquis ferè omnibus rebus, cõmodè vti queat. Pœnitet me, ita mihi Dii faueant, hãc tuarum nugarum confutationem aggreſſum: neq; enim ea ingenii vilitas aut tanta (ferè dixerim) ſtupiditas, digna eſt hoc meo labore. Sed ad alia properemus, poſteaquàm cœpimus, ne videamur indoctis, non habuiſſe, quo confutari poſsint iſtæ egregiæ tuæ excuſationes, quibus defendis Galenũ. Quare enim non liceat hoc pacto, omnẽ argumentorum vim, & rationum momenta euitare, ſi dicamus hoc, & illud, & quicquid denique communem tractatationem

postulat, non fuisse scribendum à Galeno, quod aliud faceret opus, aliudq́; sibi propo neret negocium. Nam si medicinæ partes vsum maximum capiunt, ex communi vna tractatione, probabit ne aliquis sanæ mentis eum scriptorem, qui hac contempta, rem ad vnicam partem trahat? an ne etiam in hoc ingenii tui imbecillitatem ostendis, quum differentias morborum à præceptore meo positas, negas differētias esse? quòd scilicet illæ essentiales non sint: sed tibi placeat potius modos quosdam morborum aptiore, (si Diis placet) vocabulo, illas appel lare: quasi ille non antea statuisset, quid essentialis differentiæ nomine intelligi velit, quæ nimirum curationem, aut alia medici officia immutare possit. Dic quæso, si id nosti, nonne morbi differunt inter se, quod quidam magni, acuti, ordinati, æquales, sim plices, benigni: alii verò his sint contrarii? An non euacuationem variamus penes hāc rationem? An non Galenus ostendit, pas sim illos inter se per hæc differre? quod si ita est, quid in nomine litigas? aut si ꝓprie tatem verborum religiosius hic, quàm par sit, obseruandam esse censes, pasim alibi hoc studium contemnendum esse iudicas? vel Gal. ipsum potius nō repræhendis, qui

& febres, & reliquos morbos his differētiis distinguit? An non illud quoque aliud est, docere morbos differre penes causas suas, & symptomata: aliud verò symptomatum & causarum peculiarem tractationem facere? & rursus causarum, & symptomatum differentias explicare? id ne est quod tam absurdum esse putas? Quod si ignoras qua ratione id possit fieri, quod præceptor meus tradit, exemplo te docebo, quo maximè rudiores mouentur. Aristoteles docet res natura constantes moueri, & quiescere: illas uerò quæ arte cōstant, nec moueri, nec quiescere; atque ita res differre inter se motu, & quiete: postea verò differentias motus, & quietis suo loco explicat. Ita Argēterius docet morbos inter se differre, quod alii ab aliis causis nascātur, aut diuersa symptomata inferant, explicatque postea causarum, & symptomatū differentias. Quur (quæso) hoc non licet facere? an quoniam vno verbo causarum, & symptomatum meminit? est ne id illorum differentias explicare? Credit iste bonus uir quia ab eisdem fontib. morborum, & symptomatum differentiæ fortè sumuntur: propterea easdem poni ab authore illorum differentias. Sed iste non potest assequi ob ingenii imbecilli

tatem, ineptias esse dicit. Videte quæso vos studiosi, quantum posit, propè dixerim, rabies hæc, & sectarum studium, quod ingenuo cuique, cane, & angue peius est fugiendum. Scripsit Argenterius quonam modo morbum magnum intelligere oporteat: vbi Alexandrinus nulla lectu digna annotauit, & tamen Galeno se insigniter patrocinatum esse arbitratur. Sed excusandus venit: fecit enim, quod potuit, non quod voluit. Verum in eo ferri nõ potest, quòd quum iisdem Galeni verbis, & distinctionibus in morbo magno nollet vti, sed de suo (vt doctus videretur) depromere, quibus fortè mentem Galeni explicaret, in absurda quæque incidit. Ait enim morbum magnum vocari, quum communem illam mediocritatis mẽsuram prætergressus fuerit. Quam quæso studiosi, intelligere potestis cõem illam mediocritatem. Deinde cũ propria natura morbi spectatur, quo nomine, inquit, maligni morbi fiunt magni. An non legistis vos, morbos magnos dictos, ob essentiam suam, differre apud Gal. ab illis, qui ob malignitatem magni cẽsentur? tertio morbos, qui partem nobilem occupant, magnos vocat: etsi iam non sint, sed quod timendum sit ne magni fiant: atq;

vt id exactè intelligatur, paulo post multis verbis idem explicat. ò egregiam intelligentiam verborum Galeni, ò acutum ingeniũ, vocare illud magnum quod nondum est, sed quod fieri potest: quasi ea quæ in potẽtia sunt, aliquid esse iam dici possint: aut Gal. non dixerit illos esse magnos, qui iam sint. Quur enim ego non dicam, te esse doctum, quia quum non sis, aliquãdo fortè, si mutaueris ingenium, possis esse? non tamen propterea dicet aliquis, nunc te doctũ esse. Quur non licebit etiam illos, qui in parte ignobili sunt, aut certè non nobili, magnos vocare, eò quod periculum parere possint, nisi rectè curentur, aut alio modo permittantur sæuire, & augeri. Vocemus ergo vulnus exiguum in crure, aut osse magnum morbum, quia negotia plerunq; exhibet, vt tu de alio, qui in parte nobili est censes. Ac nescio quo modo Alexandrinus noster exemplo vtitur ab exercitu hostium sumpto, contemnens quæ Argent. aptissimè in suo opere tradit. Vult enim ingentem multitudinem hostium qualiumcũq;, magnum vocari: quasi magnitudo, & vehementia, ex ignaua multitudine metiẽda sit, sed hoc exemplum deducad propositum. Vocabis igitur eodem pacto morbum ma

gnum, congeriem quandam morborum qualiumcunque, vide quàm appoſitè, & quàm Galeni placitis conſentaneum. Quid prætereà pertinet hoc loco docere, quid ſit quod venæ ſectionem, aut vacuationem indicet? quod ſi fortè rectè faceres, hæc leuius ferenda eſſent: ſed cum dicas vehemẽtiam morbi indicare in vniuerſum euacuationem, planè erras, quocunq; authore nitaris. Nam vehementia morbi, vehementia duntaxat poſtulat remedia: vt rectè dicebat Hippocrates. Extremis morbis extrema remedia optima eſſe. Nemo igitur hoc authore vtatur vacuatione in leuiorib. morbis: quoniam ſoli vehementes indicãt vacuationem. Multa alia ſunt perperã dicta in hoc capite de ſanguinis miſsiõe, purgatione, & vacuatione, atque etiam de remediis morbi magni, quæ proſequi non eſt noſtri inſtituti, nec operæprecium, ea velle docere hominem, qui nolit melius aliquid diſcere. Vos autem ſtudioſi, videte, quid tandem reportetis ex his præceptis, & diſtinctionibus, quas in euacuatione obſeruandas eſſe tradit: ego ſanè nihil inuenio, quod in opere medico alicui vſui eſſe poſſit. Illud quoque videte vos medici: negat Gal. hecticam vllam eſſe magnum mor

bum, hic contra fatetur esse, sed non caloris, verũ siccitatis ratione. Errat ergo Galenus, qui absolutè pronunciat esse nõ posse. Præterea quum dicit siccitatis ratione hecticam magnum esse morbum, marasmũ non hecticam nobis describit, quæ absque periculosa & magna siccitate consistere potest, si modo Galeno credit. Quid tu bone vir habes; quod dicas, vt Gale. excuses, cum morbi magnitudinem ex variis rebus sumi scribit. Ait enim Argenterius, illum sibi non constare, quod quodam loco magnos dicat esse, qui vel partẽ principem occupãt: vel ob magnitudinem affectus, excellunt, vel sunt maligni: alio verò loco ob facultatem, læsæ actionis præstãtiam, & magnitudinem affectus, magnos esse ponat. Tu ostendis egregie sanè, hæc eadem esse, & quod vno loco dixit partis præstantiam alio dixisse facultatem, quæ læsum corpus gubernat: quod ibi magnitudinẽ affectus, hic læsæ actionis dignitatem; quod ibi cacoethiam propriam, hic essentiam affectus vocet. Sed dic primum qua ratione facultatem aliquam hic ponere posis, quum antea vbi refellis definitionem morbi (Argenterii, neges aliquam esse facultatem distinctam ab actione, in his quæ sunt præter na-

turam, de quibus hic agitur? nescis mendacem oportere esse memorem? Ponis hic facultatem,& actionem læsam, tanquam duo membra distincta, quæ morbum magnum reddunt. Sunt ergo illa, vt distincta sunt, quod antea negabas. Ad hæc qua intelligētia magnitudinem affectus interpretari, audes læsæ actionis dignitatem? quasi morbus magnus esse non possit suo excessu, vt magnum vulnus, vbi actio aliqua publica offensa non sit. An non idem quoque est, & facultate, & actione magnitudinem metiri, cum vtraque sequatur morbum? Nam magnos morbos intelligimus, qui vel actiones, vel facultates principes lædunt, adeo vt hæc vna significatio, nimirū quod ab vna, & eadem re effectu scilicet duobus significari potest, nempè facultate, & actione. Cæterùm quo pacto cacoethiam appellare potes, & intelligere propriam affectus essentiā? est ne tuo iudicio omnis morbus, qui sua essentia magnus est, malignus? Nam si ita statuas malignum esse quod secundum propriam essentiam magnum est, qua ratione statim postea malignū dicis esse magnum in secundo significatu? quod scilicet periculosus sit: nam si secundi est significati, quomodo fuerit primi? Nonne in il

lo quoque oſtendis te artis curatiuæ penitus ignarum? quũ excuſare uis Gale. quòd malignum morbũ cum magno confundat, vbi curandi rationem docet, ſeparet autem illos inter ſe, cum ſigna, & prædictiones tractat? Curabis ne tu malignos morbos, vt magnos? Cur ergo antidotis in magnis omnibus non vtimur? & in omnib. malignis, remediis, quæ propria ſunt magnis, vt aquæ potione, ſanguinis detractione vſque ad animi defectum? Sed quomodo quæſo ád prædictionem confert, hæc diſtinctio; ad curationem verò minimè? Nam ſi diuerſos affectus in corpore ſubeſſe ſignificãt magnitudo, & malignitas morbi, ex quib. quid prædicendum ſit, colligimus: erunt quoque excogitanda diuerſa remedia, quæ diſcrepantibus malis ſuccurrunt. Sed hæc tu bone vir nõ intelligis, & propterea alios malitioſos, oſcitantes, & ignaros vocas. Legãt omnes qui velint ea quæ ſcribis de morbi magnitudine, & fatebũtur omnes qui planè nõ ſunt ſtupidi, te nec Argẽ. vnquam intellexiſſe, & à Galeno, teque ipſo plurimum diſcrepare, & præterquam inanem verborum confuſionem nihil te proloqui, & in medium afferre, quæ propterea nolo ad vnguem proſequi, quoniam illa omnibus pa-

tere puto. Oſtende tu mihi magnos morbos, qui vehementes à Gal. vocantur, non eſſe acutos, & eſſe abſq; periculo, prætereà ſemper vſurpatũ fuiſſe, acuti morbi nomen pro eo, quod periculum minatur, quoniá ſi ea legiſſes, quæ præceptor meus de hac re ſcribit poſtea, aliter profectò ſentires: hoc tibi ſatis ſit ad tuam ignorantiam detegendam, quod Galenus exquiſitam tertianam, acutam vocet, quæ tamẽ omni periculo vacat. Quid verò indicet venæ ſectionẽ docuit Argenterius, & aliquãdo ſubtiliſsimè diſputauit, nec morbum magnum, nec paruum, aut alterius generis, hoc indicare remediũ, ſed aliud eſſe quod hoc faciat, quod quidem hoc loco docere, non eſt neceſſarium: intelliges ſi ipſius ſcholas frequentaueris, quẽadmodum multa etiam alia quæ nunquam tu cognitione aſſequi poteris.

Negas præterea morbum magnum virium collatione dici poſſe; quod quomodo tueri valeas non video, ſi poſtea ſtatuis dici poſſe magnum obuii alicuius comparatione, ſunt enim vires aliquid. Et ad quid quæſo melius, conferri poteſt morbus, quàm ad id, cum quo conflictatur, & nunc vincit: nunc vincitur? Sed tu qui omnia recta ſuſcipis iniquo animo tractanda, non agno-

ſcis quid rectum, quid verum, aut appoſite dictũ ſit. Eſt profectò quod magis laudemus, tuam opinionem, quam tu tua inſcitia ridendam proponis. Quis enim nõ rideat, qui audiat dici malignum morbum magnum, eò quod inter placidum, & malignum (vt tu ſentis) medius exiſtat? Quomodo enim malignus poteſt dici, medius inter malignum, & placidum? & quomodo poteſt ſtatui aliquid magnũ, quod medium ſit inter duo extrema? Ad hæc non intelligis quid dicendum ſit, quum periculoſum morbum magnum, aut contra, magnos vocari eos, qui periculoſi ſunt dicimus. Non enim quod neceſſario occidãt, periculoſi morbi tales eſſe cenſentur, ſed quod plerunque id faciant. Sed illud profecto ſcitu dignum eſt quod ſcribis morbũ ſcilicet qui periculoſus ſit, maiorem rectius dici, quàm magnum, quaſi ignoremus magnum, & omnia quæ dicuntur in comparatione ſumi pro maiore? quid enim quæſo, aliud intelligere potes, quum aſſeris aliquid reſpectu alterius, magnũ eſſe, quàm quod illud eo ſit maius? Nonne & illud friuolũ eſt, & omnino abſurdum ſtatuere morbũ magnum dici comparatione facta ad quodcunque obuium? Dices ne tu formicæ,

aut lapidis, aut ligni, collatione morbum aliquem magnum esse vel paruum? Dices forte tu qui studes potius maledicere, quã quæ vera sunt intelligere. At illi quibus veritas cordi est, quique sunt fœliciori ingenio præditi, has ineptias ferre nequeunt. Dic tu (quæso) qui Galeno patrocinari studes, quo pacto elephantiasim vocare possis, omni modo morbum magnnm? Si quidem Gale. magnum, & vehementem idem esse dicit. Est ne elephantiasis vehemens morbus Galeni opinione? qui vehemens illud definit esse quod excessum insignem cum celeritate motus habet coniunctum: fuerit sanè huius generis elephantiasis, longissimus; tardissimusq́ue affectus: quo pacto hoc quoque dices? quomodo illud cõstitues, elephantiasim medium esse morbũ inter mites, & malignos, quum inter hos malignissimus sit? Deinde si in medio contrariorum morborum illã constituis, quid intelligere potes quum scribis, magnum illam appellari morbum, quum medium suũ excedit? quod enim medium constituitur, quomodo medium excedet? Moriar si quis dicat se intelligere ea, quę scribis in istis tuis collationibus, aut si quis negligentiam hãc probet. Negas & illud quod omnib. patet,

Gal.diſtinctè pronunciaſſe morbũ magnũ, quum ſcribit illum indicare venæ ſectionem: aut tu illi oſtende, vbi id facit: quod ſi non facit, atque interim Argenterius admonet, quomodo author ille intelligendus ſit, quid calumniaris eum, qui rectè authores interpretatur, docetq́; quo pacto ſint intelligendi? Præterea ponis duobus modis morbum magnum dici, & interim triplicis ſignificationis mẽtionem facis, vt rectè oſtendas te nec tui ipſius memorem eſſe.

Quod ſi magnum morbum ab acuto ſeparat præceptor meus, id non facit, quod palinodiam canat, vt tu de non intellectis profers: ſed antea Galeni opinionem explicabat, poſteà verò quid poſtulet ars, quidq́ue ipſe ſentiat, aperit: Quod ſi nequis tu id diiudicare, permitte alios id facere, qui meliore ſunt iudicio, & ingenio fœliciori. Cæterum ſi Hippoc. & Gale. dicunt quoſdam eſſe morbos æſtiuos, quoſdã vernales, alios hyemales, alios autumnales, & differentiam quandam conſtituunt in morbis ex anni tẽpore, quur Argenterium repræhendis, qui illam agnoſcat, ponatq́; differentiã? quod ſi à cauſis eſt ſumpta, & vt certè eſt, an propterea eſt hæc differentia cauſarum morbi? An ipſe explicat, quum id docet, cauſarum

morborum, vt ipſe ſentis, non autem ipſorum morborum differentias? O egregium patronum Galeni, qui ignoret aliud eſſe differentias alicuius explicare, aliud docere à quo illæ ſumantur. Sumuntur quidem (bone vir ſi neſcis) à cauſis morborum differentiæ, ſed ipſorum morborum, non cauſarum morbi. Quod ſi negas has eſſe, quòd propriæ & ſubſtantiales non ſint, vt paſſim dicere ſoles: de nomine litigas, & Galeno interim repugnas, qui ſparſim & paſſim, eas ponit differẽtias, & ignoras, quid arti huic noſtræ ſit ex vſu. Vocauit enim & ſtatuit ab initio Argenterius eſſentiales differentias morborum, quæ curationem, & alia medicinæ officia variare poſſunt, vt ſophiſmata omnia euitaret: quod apud omnes hactenus fecit, te excepto: qui nunc hæc contemnis, vbi patrocinandum eſt Gale. nunc plus æquo retines, vbi præter rationẽ præceptorem meum calumniaris. Sed quilibet (vt ſpero) tuam inſcitiam facilè depræhendit. Quid verò repræhẽdis, quum præceptor meus docet ſignificationes communis morbi, quum differentias morborum proſequitur? quaſi in rerũ tractatione variæ vocabulorum ſignificationes non ſint explicandæ. Quid differentiam morborum,

rum, qua diximus, quoſdam eſſe ſalutares, alios lethales, dicis eſſe aptam ad prædicendum, & propterà alibi eſſe tractandas? qui enim inſtituit communem vniuerſæ medicinæ tractationem, cogitur vno loco communia omnia explicare, vt ſingula poſtea, quum opus eſt, ad ſingula trahi, & deduci poſsint: faciunt morbi ipſi, & differentiæ, & cauſæ, ſi ignoras, ad prædictionem. Igitur Gal. tuo iudicio errat, qui ſeorſim hæc tractauit. O lepidum caput, ò acumen ingenii. Nam quod præceptor meus ſcribit, non rectè poni duos duntaxat fines, morbis omnibus, ſalutẽ, aut mortem, ita refellis, vt nihil dicas, quod ad rem faciat, nec reſpondes quæſtioni, vt confuſione, & volubilitate quadam verborum facilius elabaris, aut rudioribus imponas. Quid dicis, eum non videre differentiam hanc acutis ferè morbis dicatam eſſe? quorſum hæc quæſo? quorſum reliqua, quæ hoc loco abs te dicuntur? Scribit præceptor meus, non rectè diſtinctos eſſe omnes morbos, in ſalutares, & lethales, quid ad hæc dicis Alexandrine? ad hoc reſponſum oportuit, nõ ita nugamentis tuis propoſitionem eam eludere. Quod vero affers tertianam poſſe dici magnam inter tertianas, verum quidem

eſt, ſed magnum morbum eſſe, nemo vnquam dicet. At magnorum morborum, non magnarum tertianarum criſes dicet eſſe Galenus. Quorſum verò magni morbi mentionem facis, quum quæritur quid malignus ſit? aut cur negas magnos, ideſt, vehementes morbos periculoſos dici poſſe? quādoquidem ii cum acutis, idem ſunt, quibus periculum adiungit Gale. Quod ſi æſtuantiſsimæ febres ſæpe ſanantur, non tamen propterea fit, quin periculoſæ inter morbos cenſeantur, vtpotè quæ non ſolum minentur periculum, ſed ſæpe etiam inferant: qua in re illud quoque ſcire debes, alium eſſe periculoſum, alium lethalem morbum. Quòd ſi in magnis morbis nullum agnoſcis periculum, eſt quod audaciā tuā, aut fortitudinem laudemus: Ego certè, & alii minus audaces medici, periclitari puto homines, quum magnis, & vehementibus morbis tenentur. Quod ſi non meminiſti Galenum dicere febres in bilioſis ex inedia malignas reddi, quid uis me in hoc facere? hoc ſolum præſtare poſſum, dolere tui cauſa, quod negligenter Galenum legas, & temere illius patrocinium ſis aggreſſus, & vano quodā ſtudio quæ præceptor meus obiter notat, nec damnat in eo Galen. tu om-

nia calumniari ſtudeas, nec agnoſcere velis, quantum ille ſtudioſis proſit, dum accuratiſsimè ſingula inquirit, diiudicat, & exprimit: Quod ſi velis vt Galeni locum tibi indicem, lege octauum librum Methodi capite ſecundo vbi ille ſcribit ex inedia (ſi recte memini) κακοηθεστάτους, ideſt malignißimas febres excitari. Verum demus Galen. ſcribere malignos morbos, ex ſymptomatis ſuis dignoſci: an propterea ex eo cõſtat quid malignus morbus ſit? nam magni, & omnes alii morbi id quoque habent, quod ex ſymptomatis quaſdam notas habeãt, & ita cognoſcantur: quare communis eſſet omnium illorum definitio. Dic quæſo mi Alexandrine ſiquis tibi hæc ſuppeditaſſet, maligni morbi ex ſymptomatis ſuis dignoſcuntur, deinde poſtulaſſet abs te definitionem horum morborum, potuiſſes ne tu reſpondere, aut pro definitione dixiſſes illos agnoſci ex ſymptomatis? Accuſa ergo tarditatem tui ingenii, qui ignores quid doceant authores, nec illis malignitatem obiicias, qui omni ſimplicitate, & animi candore, ſtudent omnibus prodeſſe. Scribit præceptor meus malignos eſſe morbos, qui ſeueriora inferunt ſymptomata, quàm pro ratione eſſentiæ ipſorum morborum con-

ueniat, & huius rei exempla ponit, quæ tu dissimulas, nec illius est institutum docere, quo pacto illi dignosci queant: nec Hipp. illorum, potius quàm aliorum qui periculum minantur, aut salutem pollicentur ratione, in prædictionibus est prosequutus. Quid verò interim dissimulas ea, quæ scribit aduersus Galenum, definientem ex successu remediorum morbos malignos? Porrò malignis morbis, non ex accidenti, sed ex propria natura, atque vniuersis conuenit, vt causæ illorum ad euidentes qualitates redigi nequeant: perperamque existimas, exanthemata, scabiem, & alios affectus contagiosos, malignos non esse, quod leuiora quædam sint mala. Quid enim impedit quo minus leuiora quædam mala, maligna existere queant? Nam etsi seuerio ra accidentia, quàm pro ratione morbi debebant, sequantur omnes malignos morbos: non tamen propterà necesse est, omnem malignum morbum, eundem quoque grauem esse. Si verò simplicis aut compositi morbi significata ignoras (vt ais) quàm bene sint collecta: est quod discas prius, quàm dánes aliorum labores. Sed quur interim de morbo exquisito, notho, vero, nõ vero, vehementi, & graui nihil affers? ni-

hil hic quod repræhendas? taces, ſatis ea laudas. Quid verò ſcripſeris de morbo acuto in tuis illis enantiomatis, nihil curo. Verùm puto te nihil afferre in defenſionẽ Galeni, quia nihil habeas quod dicere poſsis. Illud verò vide, quàm recte Gal. ipſum excuſes, quem fateris res ipſas ſeruare, ſed nomina mutare, & confundere. Nam qua ratione (quæſo) aliter quàm ex eo quod ſcribit, depræhendere potes, eum de rebus recte ſentire: ſiquidem ex verbis noſtrarum cogitationum interpretibus, animi ſenſa eliciuntur. Cœterum de continuo, intermittente, ordinato, inordinato, & errante morbo, & multis aliis differentiis morborũ nec ſcribis, etſi Argenter. doceat multa deſiderari poſſe de hac re apud Gale. De inęquali verò morbo, quum nil habeas, quod dicere poſsis, ſtudioſos hortaris, vt ipſi videant, & componant diſsidentes Galeni locos. Sperat Alexandrinus fore, qui acrius Argenterium refellere aggrediantur in his, quæ ſcribit aduerſus Galenum de morbo per conſenſum, & primario genito: nimirum quod ſentiret ſe ignauiter hoc facere. Nam Argenterius Gal. incuſat, quod morbis qui per conſenſum gignuntur, opponat aliquãdo proprios, ideſt ſtabiles, & firmos,

aliquando vero repræhendat eos, qui dicũt opponi morbos per consensum natos, illis qui primario fiunt: aliquando verò hanc opinionem sequatur, quam alibi improbauit: aliquando etiam opponat eos, qui per compassionem oriuntur, his qui per se, vel propriè, vel primario, consistunt. Hos locos inter se repugnantes videte quo pacto Alexandrinus conciliet. Quod enim ipse asserit Galenus, dicit se aliis permittere, vt scilicet hũc morbum vno, vel alio nomine appellent: hoc enim modo omnia facile excusari possunt, si errores qui proprii sunt authoris, aliis tribuamus. Concedit præterea Alexandrinus, eum errare, qui dicat capitis dolorem factum vitio ventriculi per consensum esse, si modo perpetuò nõ manet, neque euidentes habet ob suam paruitatem notas. In quo quid aliud facit, quã quod Galenum fatetur errare, qui id apertissimè scribit circa finem libri tertii de Locis affectis. Negat & idem, partes illas rectè dici affectas, quæ materia, aut facultate aliunde influente, destituuntur: concedit tamen illas per consensum affici, quasi nõ rectè dicantur affectæ, quæ per consensum afficiuntur. Idem enim affectus est, sed afficiendi ratio duplex, vel per consensum,

vel per primariam affectionem: itaque si af
fici partem aliquam per consensum dicas, il
lam profectò, aptè quoque affici dicemus.
Sed negat Argenterius illas affici partes in
quibus nullus nascitur affectus, vel priua-
tione materiæ, aut facultatis: Galenus scri
bit in fine libri primi de locis affectis, natu
ralia instrumenta primario affectu, semper
laborare, quum illarum actio impeditur, a-
nimalia verò instrumenta sæpè lædi per con
sensum affecta scilicet origine, qua faculta
tes gubernantur. Quam sententiam Ale-
xandrinus ita explicat, vt concedat etiã per
consensum affici posse naturales partes, sed
non eo modo, quo animales, in quo primũ
à Gale. euidenter dissentit, qui nulla adhibi-
ta distinctione, illis dicat conuenire, quod
aliis negat competere posse. Deinde quũ
dicit Alexandrinus naturalia instrumẽta cõ
genitam omnem sibi habere facultatem: a-
nimalia verò aliundè recipere, à Galeno dis
sentit, qui ab hepate naturales quasdam fa
cultates in alias partes emanare tradit. Po
stremò nequit Alexandrinus animo conci-
pere, partem posse suam naturam, & tem-
periem retinere, recedente ab ea influente
calore, & spiritu: quasi cerebrum intempe
ratum euadat, quando per somnum ad inte

riora viſcera natiuus calor ſe contrahit,aut hæc intemperata euadant per vigiliam, eodem aſcendente ad caput. Nonne vides mi Alexandrine te medicinæ fundaméta ignorare? Sed ad alia tranſeamus,vt tandem abſoluamus ea,quæ pertinent ad differentias morborũ, quas tu neſcio quo pacto negas differentias eſſe, ſed modos quoſdam differentiarũ eſſe, aſſeris. Dic mihi(quæſo)quid per iſtum tuum modum intelligas, & in quo ille à differentiis diſcrepat. Nonne Galenus diuidit morbum in eum, qui eſt per ſe, & alium qui eſt per accidens? Cur ergo non licebit Argenterio, dicere hanc eſſe vnam morbi differentiam, qua quidem inter ſe morbi differunt? quod ſi non exquiſitas, & eſſentiales vt vocant has differentias eſſe contendas, imprimis Gale. repugnas, qui inter veras morbi differentias eas ponit: deinde de nomine litigans, quod tantopere fugiendum paſsim clamas, facis vt nequeamus morbos inter ſe diſtinguere. Ergo aut Argéterium noli damnare, aut ſimul repræhendere Galenum, vel meliore methodo ſi potes,morborum omnium differentias collige. Nam ridiculum illud eſſe puto,quod in hac re etiam ſcribis,iſtos tuos modos nó eſſe hoc loco ab Argenterio tractandos:ſed

ſparſim vbicunque locus incidat, de illis mẽtionẽ habendã. Nam qui cõmunem omnibus tractationem inſtituit, de morborum differentiis, cogitur vno loco ſumma capita docere, à quibus vniuerſæ differẽtiæ ducuntur. Cœterùm de morbo per ſe, & per accidens, ita agis, vt fatearis Gale. erraſſe, vtpote qui morbum partis ſimilaris per accidẽs ſtatuat eſſe morbum in parte inſtrumentaria. Quum enim nequeas argumentis Argenterii reſpondere, & puerilia multa in hac re tradas, errorem Gal. tacitè cõcedis: Ais, morbum per accidens, non eſſe per ſe morbũ, propterea nõ poſſe eſſe morbi differentiam: pulchra ſanè ratiocinatione hoc colligis: perinde enim eſt, ac ſi dicas, morbus acutus, non eſt tardus, nec hic poteſt eſſe acutus, ergo neuter iſtorum poteſt eſſe morbi differentia. Fateris inſtrumentarias partes, nullatenus (vt vno verbo vtar) ob febrilem calorem pati, affici tamen concedis, ſi quis contendat ita velle, & totum affici per accidẽs. Sed quid hoc ad rem noſtram? non enim diſputamus, an totum ſiue omnes partes ſimilares in febre afficiãtur: ſed an affectus aliquis ſit, & morbus in partibus inſtrumentariis: in hoc repræhenditur Gal. in hoc debes eũ defende-

re, nec id quod ad eũ pertinet debes ad alios trãsferre, eo loquẽdi modo quo paſsim vteris, & ſcribis ſi cui libeat ita vocare aliquid, hoc illi concedi: Gal. accuſatur, quẽ nihil temere ſcripſiſſe arbitraris, & obſtinatè cõtendis: nõ alius cui ſine ratione libeat nominibus abuti, aut morbos ponere in eo quo conſiſtere nequeunt. Sed quorſum hæc illi ſcribo, qui hoc ſolũ ſibi propoſuit faciendum, vt quocunq; modo effugiat vim argumẽtorum quibus Gal. premitur. Iam vero accedamus ad libros de cauſis morborum, in quibus permitto vt tuo more multa effutias, appellesq́; Argenterii doctrinã monſtrum, ad quod domandum optes tibi alios auxilio fore, & alia huiuſmodi proferas; quibus imbecillitatem ingenii prodis. Omitte quæſo hæc, & vt philoſophũ decet rem rationibus age, ſume ex illius opere quæ vrgent argumenta, eaque refelle non calumniis, ſed rationum vi, atque momentis. Non enim ſatis eſt mi Alexandrine dicere Galenum aptè, concinne, appoſitè cauſas differẽtiarum morborum, vbi res poſtulat docere: ſed res in apertum deducenda, de qua agitur, loca indicanda ſunt, vbi hoc faciat, opusq́; aliquod proferendũ, in quo hæc contineantur: id enim poſtulat

docendi ratio. Sed quorſum tecum ago de docendi ratione, quam pro nihilo habes? dum putas ſatis eſſe, ſi omnia ſparſim, nulloq; ordine tradantur. Interim qmuu hoc facis, & tempus in nugis conſumis, cur Ariſtotelis ſententiam de numero cauſarũ nõ defendis? aut ſaltem non agnoſcis quàm recte hæc ſint ab Argenterio tradita. Dices (vt puto) Ariſtotel. tueri non poſſum, quia philoſophiam non didici: Argenterium verò laudare nolo, quoniam meum ſtudiũ eſt, omnia illius dicta carpere, nec vnquam fateri velle aliquid eſſe rectum, quod ab eo ſit excogitatum, quod certè egregii, & ſinceri tui animi eſt indicium. Quod ſi ſaltem in tam magno, & inſigni opere aliquid eſſet traditum ab Argenterio, quo tibi ſatiſfieret, aut quod laudares, euitaſſes fortè apud ſtudioſos ſuſpitionem, te nequaquam maledicendi ſtudio hunc laborem ſubiiſſe, aut ſi cenſuram hanc ſolum ad rationem reuocaſſes, dimiſsis calumniis, laudanda erat: quod quum non feceris, quomodo ferri poterit? maxime cum in hoc repræhendendi ſtudio ita proteruias, vt velis in omnib. Argenterium à Galeno diſſentire & multa tradas pro Galeno, quæ prorſus ſunt ab eo authore aliena. Nam ancipitem, & hæſitabũ

dum ſcribis fuiſſe Gal. de eſſentia caloris in nati, quo quid poteſt eſſe negligentius? Lege quæ Argenterius in libro de Somno, & vigilia de calido innato memoriæ prodidit, & intelliges, quàm certa fuerit de ea re Galeni ſententia. Sed nonne te pudet, ita vt facis, veritatem eludere? Habet Argenter. eam definitionem cauſæ quam tradit Galenus primo de locis affectis, nequaquam cõ præhendere cauſas externas, & propterea non poſſe eſſe communem vniuerſis cauſis. Tu verò reſpõdes Galenum eo loco huius modi cauſas nequaquã conſiderare: & neſcio quid de equo & homine affers ad ſimi litudinem argumenti refellendam, quæ quidem opto ab omnibus legi, vt intelligatur, quàm temere aberret bonus ille vir. Addit quoque Argenter. non rectè definiri cauſam à Galeno, quum ſcribit illud cauſam eſſe, quod ex ſui natura, ei quod fit, partem aliquam generationis confert, quoniã cauſæ per accidens, cauſæ ſunt, non tamẽ ſuaptè natura conferunt ad id quod fit. Reſpondet autem Alexãdrinus cauſam per accidens non eſſe per ſe, & ſua natura cauſam, & tamen conuincere vult, perſuaſus (vt opinor) ex ſua logica, illam ea definitione contineri. Credit & ille cauſam ſine qua non,

excludi ab eadem definitione, quandoquidem vt ipſe teſtatur Gale. nullam partem generationis confert. At Alexandrinus aſſerit contineri. Sed interim argumento non reſpondet. Addit præterea efficientes cauſas, & augentes morbos, non niſi pro magis, & minus differre: quo quid eſt abſurdius? nam ſol febrem efficit: eam verò augent non ipſe ſol, qui iam receſsit: ſed alia quæ in corpore reperiuntur, vt humorum copia, inopia, corruptela, aſtrictio, àut laxitas cutis, & reliqua huiuſmodi. Damnat pariter cauſæ definitionem excogitatam ab Argenterio, eo quòd (inquit) ea definitio, etiam remotiſsimas cauſas compræhendat, optima ſanè, & tanto viro digna ratiocinatio: Illud verò audite ſtudioſi artis medicæ, repræhendit Argenterius Galen. quod hic aliquando cauſas procatarcticas dicat eſſe, quæ extrinſecæ ſunt, & ſimul vehementer alterant, immutantq; corpus: hoc enim tollendum eſſet à definitione (quod vehemēter alterent, & mutēt) Ad hoc reſpondet Alexandrinus requiri tantam vehemētiā ſemper in cauſis procatarcticis, vt morbum aliquem excitent. In quo planè ab ipſo Gale. diſſentit: nam lib. primo de cauſis pulſuum ita ad verbum ſcribit, hic autor, Quæcun

que extra corpus positæ quicquam alterant in corpore procatarcticæ vocãtur: tanquã non requiratur alteratio, & mutatio ab illis, vt morbus gignatur, sed sufficiat etiam breuissima corporis mutatio, quales balneum, exercitatio, somnus, vigilia, cibus, potus, & alia huius generis, quas dicit esse causas procatarcticas pulsuum. Quid verò ais Alexandrine, causam quæ animã mouet, deforis (vt eo verbo quo vteris, vtar) semper venire? An dolor qui ex inflammatione animam affligit, causam habet extrinsecam? Alui fluxionem, eo quod cruditatem habeat causam, febrem creare censes: huius autem causam esse errores: hos autẽ extrinsecos esse: quasi alui fluxus biliosus, qui febrem sæpè parit, causam habeat cruditatem: et ob naturæ imbecillitatem seruata interim bona victus ratione sæpè non contingat cruditas, & alui fluxus? De causa coniuncta in morbis nolo Argenterium tueri, quoniam eum tuis rationibus nulla in re offendis. Illud solum vide, quod scribis morbum sæpè consistere absq; vlla causa procatarctica, aut antecedente. Nã quo pacto potest effectus absque aliqua ex suis causis esse? Ac profecto vix in hac re risum continere possum: nam vt aliquid dicas ad

refellendam huiuſmodi cauſam, negas defi nitionem morbi, qua dicitur eſſe conſtitu tio præter naturam, eſſe bonã, abſurdumq́; eſſe ita ſentire. In quo non vides te à Gale no planè diſſentire, qui in libro de differen- tiis morborum, non aliter morbum defi- nit. Tantum vtique in te poteſt contradi- cendi ſtudium, vt ſæpè ignores, te ab eo diſ ſentire, cuius te patrocinium ſuſcepiſſe pro fiteris. Dic quur non liceat in omnib. mor bis, ſicut in quibuſdam cõiunctam cauſam ponere. Quod ſi mihi liceret paulo latius expatiari, nec vererer hanc meam defenſio nem prolixiorem reddi, oſtenderem profe ctò, quantum tu, & alii quidam tecum in hac re hallucinentur. Mirum in modum il lud te torquet, quod pro relaxatione tenſio nem fortè poſuerit Argen. vbi locum citat ex libro de cauſis Symptomatũ, quaſi hoc alicuius ſit momenti, in re propoſita: ex eo enim loco hoc ſolum quæritur, quod cau- ſam coniunctam Galenus in morbis poſue rit. Rectè ſanè dictum Galeni interpretaris in libro de cauſis pulſuum. Ille enim in re bus vniuerſis cauſas continentes ponendas eſſe cenſet: tu verò non in omnibus, ſed in certis hoc concedis: egregiam vtique inter- pretationem. Cœterum Argenter. enume

rationem eorum, quæ poſſunt noſtrũ corpus alterare, in ſex res, (vt vocant recentiores) non naturales, non probat, quod omnia, quæ in vſum medicis veniunt, nequaquam his rerum generib. contineantur, & inter alia affert lotiones, vnctiones, & alia quæ extrinſecus adhibentur. Occurrit huic argumento Alexandr. quod lotiones, & vnctiones ſub motu continentur, quia forte ſine aliquo motu applicari nequeãt. Verum non videt ille, non ob huiuſmodi motum, ſed quod vim habeant calefaciendi, refrigerandi, erodendi, concoquendi, ſuppurandi, reſoluendi, aut aliud faciendi, quibus inũgimur, aut lauamur, corpus immutare. Atque hic obiter obſeruandum, quod quum iſte nequit diſsidentes Galeni locos conciliare, ſemper refugium capit ab his verbis, aliquo modo, aliquatenus, quodammodo, aut ſimili dictione, qua rudiori medicorum plebi, vel imponat, vel ſaltem placeat. Quæ verò docet Argente. de præparatis ad morbos, diſsimulas iniquo iure Alexandrine: interim tamen quæ aſſequi nequis, quia forte ingenio minus vales, licet doctê, & explicatè docentur, intricata, & obſcurata eſſe pronuncias: Cœterùm quàm rectè intellexeris quæ habet Ar

genterius

genterius capite decimo tertio primi libri de causis morborum, omnibus relinquo iudicandum, tu enim putas illũ probare velle proximam esse calidi morbi causam, corporis adstrictionem, & hoc esse huius rei argumentum, quod astrictio hæc ad summũ quoddam causarum genus referatur, nempe ad ea quæ foris adhibentur, quod nec unquam quidem dicet Argenterius, sed hoc solum efficere vult, vt in causarum inuestigatiõe ab immediatis ad remotissimas perueniamus, & in causarum enumeratione seruemus, vt immediatas cum immediatis, & remotiores cum remotioribus recenseamus. In qua quidem re exclamas, & argutationes appellas, quas non intelligis esse veras argumentationes. Ostendis te qđ iam sæpè dixi, ad huiusmodi patrocinia esse ineptum, & imprudenter aggressum ea, quibus iacturam tuæ existimationis facias. Vocat (vt dicis) causas ex accidenti Galenus, quæ præter rem sunt. vbi (quæso) hæc legisti, an in eo aphorismo in quo lotionem aquæ frigidæ per accidẽs sanare tetanon scribit, aut vbi solet dicere inediam ex accidenti siccare, & alia infinita per accidens, & ex accidenti aliquid facere ostẽdit, nec illa quidem præter rem considerari.

Reliqua,etsi mihi nauseam mouent,ne veritati desit patrocinium prosequamur. sed mihi liceat in hoc negocio id facere, quod tibi maiore quadam licentia arrogasti.nam ex integris capitibus operis Argenterii paucas duntaxat lineas, ne dicam verba, quæ tibi faciliora videbantur refellenda seligis. Ego verò non nugas quas contemno, non calumnias, quas abhorreo, nec quæ ad methodum docendi pertinent, quam tu sine iudicio eludis,quamq́ue nullius momenti esse putas,attingam:sed duntaxat euidẽtiores tuos errores prosequi animus est, ne meo officio defuisse videar: & interim amicè teipsum admonebo,vt posthac vel huiusmodi disputationes nõ aggrediaris,vel prius meliora discas. In eo verò te admonere nolo,quod asseris,sæpe te Argenterii sentẽtiam non accipere: nam & verum dicis, & errorem tuum, quod ingenui est animi per bellè fateris:Argẽterius enim Galenum damnat, quod in causis morbi calidi, ea quæ eiusdẽ sunt generis,sigillatim tractet, & nequaquam vno genere cõprehẽdat,eiusmodi sunt putredo,quæ à propinquo corpore contrahitur, & rei alicuius alterius calefacientis vicinitas, quæ quidem eo genere rerum cõtinentur, quod comprehendit ea,

quæ extrinſecus corpus calefaciunt. Hoc quod dicitur, fateris te intelligere non poſſe: detur ſimplici confeſsioni tuæ venia. In eo verò docendus es, quod arbitreris Argenterium hoc loco aſſerere, putrida ſemper extrinſecus cauſam accipere, quandoquidem nihil ſimile eo loco, aut alio apud illum authorem reperias. Quis (quæſo) eſt linguæ latinæ tam imperitus, vt hic putredinis generationem intelligat? In eo ét hallucinaris, quòd in cruditate putes corruptelam neceſſario contineri. Nam hoc ſi verum eſſet, foret ſemper neceſſarium pugnare aduerſus cruditatem remediis vacuãtibus: quod Gal. & experientia falſum eſſe docent: Etenim ſola calefacientia, aut refrigerantia ſæpè cruditati medentur, & auxilium ferunt. Hoc verò nollem honoris tui cauſa indicare, quod ſcribis vigiliam, & inediam ob contactum, & viciniã, febrẽ accendere. Quo pacto enim inedia, quæ eſt priuatio cibi contingere corpus poteſt? quomodo vigilia, quæ etiam vel nihil eſt, aut certè non eſt res extrinſecus poſita, in quo genere vniuerſa ponit Galen. quæ ex contactu & vicinitate morbos pariunt. Vide quid etiam dicas de cauſis morbi frigidi: fateris excrementorum calidorum eua-

cuatione, ex accidenti prorſus refrigerari corpus, te tamen ignorare, quomodo illa morbos frigidos procreent, ſaltem id facient ex accidenti, quem modum agnoſcis: nam ſi ex accidenti refrigerãt, poterunt vtique & ex accidenti inferre morbos frigidos. Ignoras ergo modum, quem tu ponis, nec ipſe ſcis, quid dicas. Nonne & in eo euidenter à Galeno diſſentis, quod excremẽtorum euacuationem credas morbos committere ob alimenti defectum? ac illorum etiam retentionem idem facere ob viciniam, & contactum? nuſquam enim inuenies apud Galenum, aut alios authores, id quod in corpore continetur, reponi, aut enumerari inter illa, quæ ob contactum, & vicinitatem obeſſe queunt. Dicimus enim vicinam eſſe domum, vicinum agrũ, aut quamcunque rem aliam, non quod in domo, agro, aut re continetur, ſed quod illi eſt extrinſecus vicinum, & propinquum: hæc ita ſunt perſpicua, vt nemo, qui micam ingenii habeat, dubitare poſſit. Arguit Argenterius motum, & quæ rarefaciunt, frigidos morbos procreare nõ poſſe, ſed frigidos ſimul & ſiccos: propter ea inter cauſas morbi frigidi, rectè eam nõ poni à Galeno. fatetur Alexandrinus ita ſe

habere, ſe tamen non laborare, ſi cum frigido etiam ſiccum morbum faciat, ſed interim non videt Galen. non docere, quod ſibi proponit. Nam qui ſimplicis intemperaturæ morboſæ cauſas quærit, errat ſi cõpoſitæ cauſas doceat. Eodem loco argumentatur Argenterius conſtrictionem faucium, & aſperæ arteriæ, ex qua homo ſuffocatur, perimiturq́; morbũ frigidum nequaquam parere: ꝓptereà quòd mors præueniat morbi frigidi generationem: extingui enim animal aucto calore ob prohibitã reſpirationem, interim tamen frigidũ morbum nullum gigni, nec caloris defectu, ſed nimia abundantia, cordis animantisq́; calorem ſuffocari. Ad quod reſpondet Alexandrinus, perire natiuum calorẽ, & frigditatem ſtatim induci, ex prohibita reſpiratione: ſed hoc probandum erat: non legislatorum more, ſimpliciter dicendum, frigidum morbum induci. Quos enim vnquã vidit ille ex hac cauſa frigidos morbos procreari. Docere poteſt mortem ſequi. at oſtendere nequit frigidos morbos oriri. Fecit autem Typographi error, ne poſſet Alexandrinus, vim argumenti percipere, nec in hac quidem ſecunda æditione, (vt intelligo) euitari idem error potuit: nã

pro eo quod legi debet, nec caloris defectu ſed nimia abundantia, cordis animantisq́; calor ſuffocatur, excuſum eſt, nimia abundantia cordis, animantisq́; calor ſuffocatur. Exclamat Alexandrinus, ſe diuinare non poſſe, quid per nimiam abundantiã cordis, intelligendum ſit: in quo ſe grammatices parum peritum oſtendit. Nam licet Typographi incuria hæc peruersè diſtinxerat, intelligi tamen aliter non potuit, quàm calorem cordis animantisq́; ſuffocari, quod hic verba coniungendi modus facile conuincit. Verum ſi neque eo modo fuiſſent verba contexta, debebat homo doctus, vt videri vult, & ſincero animo præditus (qualem requiro) agnoſcere huiuſmodi verborum connexionem, alienam eſſe ab eo, quod author hic propoſuit demõſtrandum. Quod verò putat Alexandrinus, calorem ſuffocari ex prohibita reſpiratione: eo quòd motu ad exteriora priuetur, & hac ratione via ad mortem per frigiditatem pateat, explicandum eſt. Nam motus quo priuatur calor, primo & per ſe cauſa non eſt extinctionis caloris: ſed quia nequit calor conſeruari abſque expurgatione fuliginoſi excrementi: hæc enim eſt, quæ cũ retinetur, calorem ſuffocat, ſed non per fri

giditatem. Quis enim dicet ignem refrigerari, cum extinguitur suffocatus ex prohibita fumi expiratione? ergo qui ignorat, aliud esse calorem suffocari, ab eo quod est refrigerari corpus, & frigidos morbos gigni, non potest hæc intelligere. Contendit præterea Argenterius frigidos morbos inferri non posse primum à ciborum defectu, aut certè non eos solos, sed vel calidos simul & siccos, vel frigidos simul & siccos. hoc liberaliter concedit Alexandrinus, sed non videt quod sequitur, Galenum nō docere simplicis morbi causas, quod illi obiicit Argenterius, sed compositi. In eo verò Alexandrini ingenium probo, quòd hæc similitudine argumenta colligere nitatur, & ingenii sui vires experiatur, vt Argenterii argumenta refellat. Nam hic fatetur, in partibus astrictis, vel interceptis vinculis, frigidos morbos gigni, negat autem dum animal moritur, prohibita respiratione, aliquem nasci morbum frigidum. Ille verò, vt qui diligens sit in argumentis ex similitudine colligendis, credit eum qui fateatur morbos fieri frigidos, in partibus priuatione caloris influentis, concedere quoque debere idem fieri in vniuerso corpore, vbi ex cohibita respiratione mors sequitur: qua

ſi diuerſa non ſit ratio, de toto, & parte: nam ob priuationem reſpiratiõis protinus ſequitur mors: impedita verò, vel intercepta delatione caloris, in aliquam partem, gangrænæ, & ex illis frigidi morbi naſcuntur. Diuerſa ergo eſt ratio, ſi in illo caſu mors ſine frigido morbo, ex hoc verò vtrunque ſequitur. Ignorat Alexandrinus, quo affectu præeunte, calor natiuus ſuffocetur impedita reſpiratione, dico eo modo, quo ignis ſuffocatur, retento fumo, clauſis vniuerſis perſpiraculis, per quæ ille exire ſolet. In cauſis morbi ſicci, & humidi, Argenterius Galenum extollit, quòd methodo vtatur, & principia ſua ſeruet: hic verò Alexandrinus ita eſt affectus, vt ab Argenterio nec laudari, nec reprehendi Galenum patiatur. Atque vtinam ego te Alexandrine in hac tua cẽſura laudare poſſem: facerem vtique id libenter, ſed cum ea ſolum ſcribas, quæ reprehenſionem merentur, doleo non poſſe animo meo ſatisfacere. Vide quid dicas de morbis, qui fiunt ex humorum collectione; cenſes illos redigi non poſſe ad eos, qui ad intemperiem pertinent, ſed ad aliud morbi genus, contra verò fieri in morbis, qui ex fluxione humorum naſcũtur: in qua quidem re planè hal

lucinanris. Nam si in morbis, tum qui ex fluxione, tum qui ex congestione nascuntur, prorsus aliquis est humor, nonne oportet in vtroque casu gigni aliquã intemperiem, & eã qualẽ humor ipse obtinet? colligatur si velis humor ille in parte ob illius intemperiem, an ꝓpterea ipse humor intẽperiẽ non excitabit, ea vi, qua est præditus? Quòd si ad intẽperiẽ redigi putas morbos qui ex fluxione fiunt, quare non idẽ conces des in iis, quos paulatina collectio parit? cũ in his vt est magis diutina humoris collecti cũ parte conuersatio, quàm in illis, ita ẽt in tẽperiei maior impressio, & quasi firmior stabilitas. Non arbitraris, inquis, scirrhos ex sola collectione humorũ procreari, fateris tamẽ plurimã generationis illorũ partẽ ex eo modo sumi, ex qua quidẽ cõfessione habet Argẽ. quod vult: nẽpe præter fluxionem, addendam esse congestionem humorum. Credis tu, vbi partes excalefactæ, aut dolentes, humore replentur, imbecillitatem esse, cuius occasione pars redditur oportuna excrementis suscipiendis: quod qua ratione probare potes? nam calorem videmus sæpè causam esse vehementioris motus, & actionis, quare imbecillitatis semper author non erit. Præterea quum

dicas semper expelli humores, vbi calente parte fluxiones excitantur, euidentissime à Gal. dissẽtis, qui distinctas has ponit fluxionis causas, ita vt ex solo calore, & ex sola expulsione humores cõfluere possint. Expultricem facultatem moueri, nõ solum à qualitate, aut copia, sed etiam à substantia materiæ, probat Argen. ex ipso Galeno: noster verò Alexandrinus prætermissis his argumentis Galeno inscius ignarusq́; repugnat, dum ea quæ tota substantia infestant, omnino qualitate praua, molestare, & qualia ob id esse arbitratur. Est ergo ab illo noua facienda logica, ex qua intelligamus, non solũ ex qualitate, sed ẽt ex substantia nos quales dici. Præterea hoc loco notanda est in arte nostra ipsius inconstantia: nam quod hic non admittit, vt Argenterio contradicat, paulo post, vbi symptomatis significata perbellè explicat, ipsemet assumit, quod hic publicè repræhendit, & refutat, nimirum quæ excernuntur, excerni, quòd quantitate, siue qualitate, siue toto genere naturæ sint molesta. Habes mi Alexãdrine palatum bile infectum, & stomachum deprauatum; posteaquam omnia quæ Argenterii sunt, tibi amara videntur, neq; hæc, quæ diximus, ingeniosè ab illo scripta placent,

nec ea ſapiunt, quæ ille eruditiſsimè de cau
ſis docet, quibus fit vt partes vnde tumo-
res præter naturam generantur, humores
ſuſcipiant. Si veritatis, potius quàm ſecta
rum eſſes ſtudioſus, non ſolum amares, ſed
etiam laudibus extolleres Argenterii labo-
rem, & induſtriam, qua vſus eſt in docen-
da tumorum præter naturam generatione,
& cœteris omnibus morborũ cauſis expli-
candis, quod nemo hactenus eo melius fe-
ciſſe fatentur omnes boni, & eruditi medi-
ci, qui libero ingenio animaduertunt, non
à quo aliquid, ſed quid dicatur, & quomo
do illud probetur, rationibusq́; conuinca
tur. Multa cogor ſilentio præterire Alexã
drine, ex tuis animaduerſionibus, tũ quòd
omnibus pateant tui errores, tum ne nimi-
um excreſcat hæc mea diſputatio. Quis
enim te non videt errare, quum naturæ vi
tia, in quibus pro vna duæ partes tibi pro
creantur, ad ſitum refers? quo modo ſex
digiti, etiam te authore, diſcrepante Gale
no, morbum faciunt in ſitu. Nonne etiã
hallucinaris, quum exiſtimas ſanguinis cor
ruptelam, ſimpliciter putrefactionem à Ga
leno omnium maximè propriè dici in lib.
de differentiis febrium? quomodo quæſo
hoc propriè dicitur? ſi conſtat, non omnia

corrupta putrida existere, atque eam sanguinis corruptionem, quam ibi Gale.intelligit,longè diuersam esse à sanguinis putrefactione. Nolo huc afferre, quod scribis erodentia, calefacientia, & exiccantia, putrefacientibus contineri: nam manifestum est, quodcunque putrefacientium significatum intellexeris, hæc simpliciter ita probata putrefacientibus minimè comprehendi. Verum de putredine, vel putrefactionis nomine, natura, & causis, meliora, quàm fortè vnquam didiceris, ex ipso Argenterio Deo fauēte breui intelliges,in quibus Remigio Meliorato egregie respōsum videbis, qui collectis ex quibusdam auditoribus Argenterii nonnullis sententiis, quas illi non satis assecuti erant, cum hic de putredine dissereret, putauit se egregiū quid facturum, si aduersus Argenterium de ea re aliquid scriberet, & eo nomine immortalitatem affectaret. Sed de his nihil hoc loco. Et quia in iis quæ in secundo hoc libro de causis reliqua sunt nihil reprehendis, quod defensione opus habeat, transeamus vlterius, atque tertium eiusdem operis librum aggrediamur, in quo non disputabo an essentiales sint, & propriæ morborum differentiæ, an modi potius differen-

tiarum, vt tu vocas, quarum cauſas Argē-
terius perartificioſè omnium primus inter
medicos, methodo tractare eſt aggreſſus: id
enim paulo ante proſequuti ſumus: ſed ſi-
ue modos, ſiue differētias hæc appelles, quo
animo ſcribere audes ſuperfluò iſtorū cau-
ſas à medico quæri? aut ſi ita cenſes, quur
eadem à Gale. tractari ſparſim commemo-
ras? ergo ſuperuacaneam, inanem, addi-
titiam necnon à curationis vſu, & metho-
do alienam doctrinam (vt tuis verbis vtar)
fecit Galenus? quòd ſi hunc authorem re-
ctè hæc explicaſſe arbitraris, quum ſparſim
illa docet, an non proteruis, quum dānas
Argenterii opus, in quo communem, &
vniuerſalem omnibus ſingularibus doctri-
nam complectitur? Si verò ignoras, alia ra
tione curari morbum acutum, quàm tar-
dum, magnum quàm paruum, continuum
quàm intermittentem, vehemētem quàm
languidum, longum quàm breuem, beni-
gnum quàm malignum, docere te cupio,
& interim admonere, vt hæc prius diſcas,
quàm pergas medicinam factitare; nam par
uam ſuæ ſalutis curā habebit profectò, qui
medico vtatur, cui hæc nequaquam ſint cu
ræ. Galenus paſsim in aphoriſmis, & in me
thodo medendi admonet, cognoſcendas eſ

ſe cauſas, quibus contingit morbos fieri lõ gos aut breues, vt illis perſpectis, oportuna poſsimus remedia adhibere: nonne etiã Hippocrates, cum alibi, tum primo aphoriſmorum, ex acutie, tarditate, longitudine, breuitate, vehementia morbi victum conuenientẽ, ægris præſcribit, & inſtituit? hic verò noſter Alexandrinus, iſta non eſſe ſpectanda dicit, iſta intelligit non eſſe docenda certo loco, quia Gal. & alii hactenus horum tractationem nequaquam communẽ, & ordinatam fecerunt. Ergo de Anatome vno volumine Veſalius ſcribere non debebat, nec de materia medica vno opere ſcribendum eſt, atque nos opus, quod de generibus, cauſis, & differentiis excrementorum in ſtudioſorum vtilitatem, ſcribere aggreſsi ſumus, te authore intermittemus: quandoquidem de his Galenus, aut nihil ſcripſit, aut ſparſim omnia, & negligenter hæc eſt proſequutus. Quòd ſi docti viri Alexandrine, antehac te in conſilium adhibuiſſent, nunquam tantum progreſſum feciſſent bonæ artes, quantum fecerunt: aut ſi hoc tempore te authorem ſequerentur, non eſſet in literis, aut artibus maius incrementum ſperandum: nam quę ab antiquis non ſunt elaborata, aut ſunt, ſed ſine ordi

ne ſparſim tradita, aut hactenus nondum inuenta: tu prohibes per poliri, & methodo doceri, vel de nouo excogitari. Sed hæc miſſa faciamus, noſtriq́; officii memores, videamus vlterius quid dicas ad ea quæ ſcripſit Argenterius de ſymptomatis. Docet ex ſexcentis locis Argenterius, ſymptomatis, & accidentis nomen à Galeno variè ſumi, vt ſtudioſos medicinæ admoneat, quo conſideratè Galenum cœterosq́; authores legant. Contra verò Alexandrinus contẽdit, ſed nulla ratione, nec exemplo aliquo, eodem modo hæc à Galeno ſumi. Sed audite quæſo ingenium, & conſtantiam Alexandrini. Statuit ille ſymptoma generaliter ſumptum ſignificare quicquid præter naturam animãti accidit: ſpeciatim autem, & propriè, ea ſolum quæ morbos ipſos ſequuntur, & ſtatim poſtea iudicat, nigrum colorem in Indis, & Aethiopibus, ſymptoma eſſe, ſed quo pacto quæſo? erit ne ſymptoma generaliter acceptum? ergo præter naturã in illis erit huiuſmodi color, quòd ſi propriè ſymptoma dici velit, ſequetur profectò morbum: vnde illi (dicente Alexandrino) aut præter hominum naturam ſemper habent, aut morbis continuis affliguntur. Sed quò ille abſurdam hanc opi-

nionem reddat verisimiliorem, eò deducitur, vt fateatur artis huius authores medicinam Græcis, non exteris hominib. scripsisse: quod si hoc sibi persuadet, quare tā pertinaciter resistit bonis aliorū conatibus qui Græcis non plus quàm ratio suadet credentes in nostros vsus medicinam scribere magnis laboribus cotendunt. Verum licet subterfugia huiusmodi quærat, tamē agnoscat oportet hæc quæ pauloante diximus se qui sua malè posita decreta, seq; suiipsius esse immemorem. Quum enim ex Gale. posuisset symptoma generaliter acceptum, significare id quod præter naturam accidit animalibus, post quatuor deinde lineas dicit non ita censendum esse, nam in hoc non esse positam symptomatis naturam, vt præter naturam sit: in quo euidentissimè etiā à Galeno dissentit, qui in libro de differentiis symptomatum id aperte testatur, addēdum enim inquit ille, quod affectus aliquis sit, aut quod actionem aliquam lædat. At si hoc additur, iam contrahitur illius natura, & fit, vel morbus vel morbi causa, vel propriè dictum symptoma. Præterea quū dicitur esse præter naturam, quis non intelliget, illud oportere esse aliquid præter naturam, sed in eo consistit discrimen, quod

commu-

communiter acceptum ſymptoma nõ contrahatur ad aliquid peculiare, quod ſit præter naturam. Negat ille quoque idem eſſe præter naturam, cum eo quod multum à naturali ſtatu recedit: nec eſſe neceſſarium, vt pars ægrotet, quæ præter naturam habet: in quo videre quilibet poteſt, quàm diligenter ille legerit Galenum: is enim paſſim alibi, & præſertim in libro de differentiis morborũ, ſanitatem in eo quod eſt ſecundum naturam, morbum verò in eo, qđ eſt præter naturam collocat, adeò vt genere diſtinguantur, & contraria ſint, quæ ſecundum náturã exiſtunt, ab illis quæ ſunt præter naturam. Hæc ſi vellem ad logicen redigere, conficerem vtiq; hominem ſuis telis: ſed ex ea facultate nolo arma deſumere: ſatis enim alia ratione vinci hic poteſt, nimirum ſuis rationibus confundi. Quandoquidem cum antea requireret in definitione ſymptomatis, aliud quidpiam quàm quod præter naturã ſit, ipſe ſui oblitus non ſemel in eadem pagina, eadem vtitur definitione. Diſpeream ſi intelligit, quæ in medium affert, aut ſciat quid probandum ſuſceperit, aut ſibi velit, quum nititur diſtinguere ſymptoma communiter ſumptum ab eo quod propriè dicitur. Legat qui ve-

lit quæ de hac re ſcripſit, & nil aliud inueniet, niſi confuſam quandam verborum cõgeriem, ſententias interruptas, & mirê intricatas, inque ſingulis propè lineis euidentem repugnantiam. Ponit ſymptoma propriè ſumptum continere actiones præter naturam læſas, & excrementa, atq; qualitates præter naturam mutatas: poſtea neſcio quo modo variè loquendo, & quaſi tergiuerſando, in eum errorem incidit, vt dicat pandiculationem ſymptoma eſſe generatim ſumptum. Sed nonne pandiculatio inter motus deprauatos, & proinde inter actiones læſas à Galeno in eo opere enumeratur? erit ergo propriè dictum ſymptoma. Prætereo in hac re multa, quæ qualia ſint, quilibet facile agnoſcere poterit, ſi ea conferre velit cum illis, quæ ſunt ab Argẽterio memoriæ prodita. Qui enim in principiis conſtituendis errat, in innumeros, & graues quoſque errores labatur neceſſe eſt: ad quod illud vulgi dictum alludit, quo fertur, paruum errorem in principio, in fine fieri maximum: quod idem vſui venit Alexandrino noſtro: is enim quũ ignoret principia huius tractationis, negat ſe intelligere, quæ à Galeno, vel Argenterio ſcribuntur. Proponit enim Argente-

rius præter illa genera ſymptomatum, quæ poſita ſunt à Galeno, addenda eſſe alia genera: nec non ſub generibus à Galeno conſtitutis, alias rerum ſpecies comprehendẽdas eſſe, cuiuſmodi eſt cibus, & ſanguis, qui ex malis concoctionibus ꝓueniunt. Ad hæc reſpondet Alexandrinus rectius ipſam concoctionem vitiatam ſymptoma ſtatuendũ eſſe, quoniam inquit ſtatim temperaturã ſequitur inconcoctio, (cruditatem intellige) & ſanguinis corruptio. Sed quorſum hæc? primum .n. Argenterius nõ quærit an rectius ipſa actio, quàm id quod prouenit ex actione læſa, ſymptoma cenſeri debeat, ſed an id quoque, quod reſultat ex mala cõctione, ſymptomatis nomine ſit cõprehendendum. Deinde in eo errat, quando quidem Galenus non rectius dicit vocari ſymptomata actiones ipſas, quàm excremẽta ex actionibus malis procreata. Poſtremò nihil refert ad naturam ſymptomatis exprimendam, ſi quid ſtatim & immediatè ſequatur intemperiem, aut maiore quodam receſſu: nam qualitates, & excrementa præter naturam, intemperiem immediatè non ſequuntur, quod facit actio læſa, ponuntur tamen illa inter ꝓprie dicta ſymptomata. De dolore, & voluptate, præſtaret

Alexandrinum tacere, quàm loqui, nam hæc materia ingeniosiores vult homines. Simon Portius philosophus, præceptor olim meus, vulgi opinione nostra tempestate clarissimus, scripsit librum de dolore, in quo tacitè Argenterium taxat, sed ita frigidè rem agit, vt quilibet facile agnoscere possit, alio esse opus authore, qui de ea re diligentius dissereret, atque in scriptis cõferret, id quod ipse Argenterius in secunda æditione sui operis, meo quidem iudicio magno ingenio præstitit. Ais tu dolorem esse actionem deprauatã, quod & Portius initio sui operis aduersus Argẽterium contendit: sed vt ille postea sententiam mutat, faceturq;, quod & ipse Argenter. confessus erat, dolorem non esse actionem aliquam, sed molestiam, quæ in ipsa actione aut post ipsam nascitur: ita tu paulatim meliora disce, aut saltem in eo labora, vt prius Argenterii sententiã intelligas, quàm illam refellere aggrediaris. Nam Argenterius sibi proponit ostendendum, dolorem non esse actionẽ læsam, id quod facit, tum aliis rationibus, tum ex arte medicinali Galeni, in qua author ille signa ab actionibus sumpta distinguit ab illis, quæ à doloribus capiuntur. Tu verò ad hoc respondes, ex

loco Galeni non probari dolorem non esse symptoma. At nec hoc efficere vult Argenterius, vt credas, sed dolorem non contineri sub actione lęsa: hæc est controuersia: ad hoc te respondere oportebat. De eo verò quod dictum est sentire potius esse pati quàm agere, nolo tecum disputare: requirit enim res hæc egregium philosophum, non aliquem vulgariter doctum.

Cœterum genera actionis læsæ imperfectè enumerata ab antiquis medicis, & pulchrè ab Argenterio explicata, cur contemnis? cur sine ratione damnas? Quam velim mi Alexandrine te sinceriore iudicio esse, & magis veritatis studiosum: nam ita futurum sperarem, vt non tam temerè omnium defensionem suscipiendam putares; præsertim eo quo facis modo. Nam cum argumento aliquo cogeris, quo res confundi probatur, statim affers, questionem esse de nomine, de illis non esse curandum: quasi liceat aliter quàm ex verbis authoris intelligere, quid ille de rebus senserit, & non quærendum sit, quò omnia appositè, & propriè ab authoribus dicantur, neque in verbis alibi confusio quædam enascatur. Sed consideremus quid afferas, vbi tu de rebus disseris: qua in re primum occurit rei cor-

ruptæ definitio, id quàm appoſitè facias videndum: definis actionem corruptam, & rem corruptam vocari, quando rei naturæ corruptelæ qualitas accedit, manẽte etiamnum ſubſtantia. Quid quæſo intelligis per qualitatem accedentẽ naturæ corruptelæ? dic quæſo? nam in hoc œdipo opus eſſe puto. An vis omnem qualitatem alienam à re, quæ fit, eſſe eam quæ rem deprauatam facit? erunt ergò ſi ità ſtatuis, omnes concoctiones, in quibus quod cõcoquitur calidius, frigidius, humidius, ſiccius redditur, quàm operteat, corruptæ? quod ſi fit, vbi debiles relinquentur? Pulchrè prætereà magnos, veloces, & denſos pulſus, ad actionis imbecillitatem redigis: ſed quo quæſo authore id facis? an Galeno fortaſſe, cuius opinionem excutimus? at is omnes tales pulſus requirere robur facultatis docet. Inſuper qua fronte quæſo magnos pulſus & paruos, tardos & veloces, dẽſos & raros, inter ſe omnino contrarios, vno rerum defectu continere, & circumſcribere audes? Sed vide in hoc tuam conſtantiam; quum enim hos pulſus ſtatueris ad actionis imbecillitatem deduci, protinus nimia certe leuitate cenſes, nullam magnam, aut vehementem actionem damnandam eſſe: quo pacto

hæc quæso inter se conueniunt? nam si imbecillia sunt, damnari profectò debent. Laudas motus phreneticorum, tanquam optimos: hos tu expetas (si lubet) tibi: ego certè tales motus experiri nolim, vt quos à morbosis causis prouenire sciam: Quid plura? didicimus ex Alexandrino rerum excessus defectũ esse & imbecillitatem. Negat idem magnos veloceq́sue pulsus non habere causam virium robur, & vehementiam: in quo ostendit se Galeni libros de causis pulsuum parum diligenter legisse. Addit insuper nõ posse tales pulsus fieri absque temperamenti symmetria, quasi tales non fiant pulsus etiã in febricitantibus: Nescio quid prætereà de his in medium afferat, quod scilicet non contineantur inter symptomata propriè dicta, sed inter communiter sumpta: quod si ita est, quum propriè sumptum symptomatis nomen cõtineat solum actiones læsas, excrementa, & qualitates corporis præter naturam mutatas; communiter verò sumptum symptoma, nihil aliud habeat Galeno authore, nisi quod præter hæc contineat etiam morbos, & causas morborum: sequitur profectò vt magnæ, veloces, vehementes, & frequentes actiones aliæ, & pulsus, sint vel morbi, vel morborũ causæ,

Quid diceret Galenus si in viuos rediret, & hæc ad sui defensionem afferri videret? exclamaret profectò, se non intelligi, sua dogmata euerti. Quid enim absurdius, & à Galeni decretis magis alienum dici potest eo quod Alexandrinus hic etiam pronunciat? concoctionem nimirum symptoma esse, non autem res ipsas, quæ ex concoctione fiunt. Ergo excrementa præter naturam non erunt symptomata. In excretione etiā quæ toto genere præter naturam esse dicitur, labitur Alexand. in ea distinctione de symptomate generatim, & proprie sumpto: vult enim excretionem toto genere præter naturam, quæ oportunè (vt ait) naturæ vi fit, generaliter sumpto nomine symptoma dici, non proprie idest vt interpretaretur Galenus, non esse actionem læsam, nec excrementa, nec qualitates corporis: sed vel morbum, vel causam morbi. Anteà negabat res ipsas, puta sanguinem symptoma esse, nunc fatetur mēstruum sanguinem quantitatē exuperantē, aut aliqua qualitate vitiatum symptoma esse. Sed vt nullum habet firmum & ratum fundamentum Alexādrinus, sic nihil certi, & determinati de rebus proferre potest. Tanta opinionum inconstantia, tanta ingenii instabilitas, sæpe ri

ſum mouet, ſæpius ſtomachum; & ſi meo officio ſemel ſuſcepto defuiſſe potuiſſem, diſpeream niſi iamdudũ ab hoc opere has nugas refellendi, & exterminandi, deſtitiſſem: ſed quia incepimus progrediendum erit. Ad naturam ſui ſymptomatis propriè dicti, non putat ſatis eſſe Alexandrinus ſi adſit morboſa cauſa, ſed affectum aliquem inquit præcedere oportet, quẽ primo ſymptoma ſequatur, Atqui non vidit Galenũ ſcribentem in libro de optima ſecta, ex ſym ptomatis quædã ſequi morbos, & affectus corporis, alios cauſas morborum: Et qualis quæſo eſt affectus, quum ſit rigor ex ſola bile delata per corporis habitum? Damnat Alexandrinus Argenterium, quod ſtudioſos omnes ſæpè inuitet ad methodum, doceatque nihil rectè niſi methodo explicari poſse: atq; hoc loco preter propoſitũ exclamat, venditari methodũ, eamque proſtitui: at ſi hoc damnandum eſt, vniuerſa Galeni opera exterminabuntur, in quibus toties methodum laudat, & extollit, quoties de aliqua re ſcribere aggreditur. Sed quid ego cum eo homine multis cõtendo, qui putat ſe egregiam adornaſſe Galeni defenſionem, & interim damnat, quæ à Galeno paſsim extolluntur. Ad ea quæ ſcribis

Alexandrine in prooemio de causis sympto matum respondere nolo, propterea quod nihil habes responsione dignum. In eo verò quod scribis medicũ non vitam & actio nes corporis, sed sanitatem primo, & per se considerare, si immorari vellem, ostenderem te in medicinæ principiorum cognitione delinquere; Egregia verò illa est (si diis placet) excusatio Galeni, quam affers: quur ille pulsus, respirationis, sterilitatis, abortus, labefactatæ lactis generationis, imbecillitatis coeundi, animi defectus, & syncopes, multorumque aliorum symptomatum causas non sit complexus: ais enim pulsus, & respirationem ad rerum dignotioné pertinere; sterilitatis verò & abortus, lactis generationis, venereorumque causas indiuiduo conseruando non conferre, primo, sed speciei propagandæ; in animi verò deliquio, & syncope nos legittime medicinam non facere; ideo non esse istorum causas tradendas. In hoc certè Alexandrine vicisti, & agnosco ingenii tui acumen: valet consequétia, quæ sequitur ex tuis dictis, ad quam (vt dixi) respondere nolo, aut vt tibi aliquid relinquam in quo triumphum canere possis, dicam me non posse tibi respondere. Credis, & rectè scilicet, comitialem morbum

fieri expellente vitali facultate, & neruorũ originem humorem imbibere. Ergò vitalis facultas expellit tibi, & non ad naturalem vim pertinet omnis expulſio humorũ: nouum ſanè, & hactenus inauditum in arte noſtra decretum. Præterea vbi imbibitur humor in neruis per epilepſiam? & quid ais in hoc caſu præcedere penes figurationem æque ac cœteras ex repletione conuulſiones? an non didiciſti ex Galeno conuulſiones epilepticas, nó fieri ex repletione neruorum; ſed per conſenſum, trahente ſcilicet cerebro ad ſe neruos, & laxante. Dicis rigorem nó eſſe propriè ſymptoma; ſed quo authore hoc pronuncias? Galeno ne forte? qui omnia vitia actionum inter propriè dicta ſymptomata recenſet. Interim mi Alexandrine quum dicis hoc propriè, impropriè, exacte, non exactè ſumi, oſtendis te nũ poſſe reſpondere validiſsimis Argenterii argumentis; & mihi crede tot eſſe in ea pagina tua errores, quot penè lineæ, quos quũ omnibus patere putem, honoris tui cauſa proſequi nolo: hoc ſolùm vide quod motus conuulſorios, in comitiali affectu inter proprie dicta ſymptomata recenſeas: rigorem verò non niſi inter ſymptomata generaliter dicta contineri ſcribas; quum ta-

men Galenus in libris de ſymptomatis con uulſionem, rigorem, tremorem, palpitatio nem recenſeat, & ponat eſſe in eodem gene re ſymptomatum. Mirum profectò eſt, ſi in palpitatione, morbus, vt ſtatuis, ſit in læ ſa cauitate; quum ſæpe fiat in parte ſimilari, nempe in carne; vbi nulla huiuſmodi eſt concauitas, in qua morbus aliquis poni debeat: Concedis craſſum vaporem eſſe cauſã læſionis huius, & morbi in cauitate, & pro inde cauſam morbi; at ſi hoc concedis, fatearis quoque oportet, lapidem in veſica cauſam morbi eſſe, nequaquam verò morbum, quod antea negaſti. Pulchrè ſanè ſen tis, quum ais, intemperiẽ frigidam adeſſe, vbi in timore calor ad interna viſcera reuocatur. Nam ſi caloris motus intemperiem faciunt morboſam, quæ pariat ſymptoma ta: in ſomno cur non laborabit morbo cerebrum, & in vigilia internæ partes? non .n. morboſæ intemperies hoc modo fiunt Ale xandrine, ſed ex aliis cauſis, quas hoc loco explicare inſtituti mei ratio non admittit. Quum ſyncopes cauſas redigere vis ad in temperiem, Galeno planè contradicis; qui (vt docet Atgenterius) ſeiungit cauſas ipſius ſumptas ab intemperie, ab illis qui ſumuntur à vitio ſpirituum. Quid rurſus

horrorem, & rigorem, negas eſſe propriè ſymptomata? an non hoc ſcribit Galenus in libris de ſymptomatis, & paſsim alibi? an non ſunt actiones læſæ? Vnde colligis tu ex dictis Argenterii, hoc præter naturam eſt, ergo morbus: hoc enim ſolum ille probare vult, nõ omnes actiones, quæ ſunt præter naturam à morbis naſci. Mirum profectò ſi credas in vertigine fieri morbum, in cauitate cerebri. Quid enim poteſt exiguus vapor mali inferre, tam amplis cauitatibus? aut ſi ille id poteſt, quur in ebriis nõ ſemper fiunt morbi in cauitatibus cerebri, imo in ſanis, cum ex vaporum copia ſomnus obrepit? Sed quid ego laboro in ſingulis tuis dictis refellendis, quæ ex ſola collatione operis Argenterii collabuntur & viuere deſinunt: perinde enim eſt, ac ſi tenebras cum luce clariſsima conferre velis. Ad ea quæ de ſpiritu animali, & de natura facultatum ſcribis, nihil reſpondeo: quod Argenterius de hac re multa eruditiſsime conſcripſit in libro ſecundo de ſomno, & vigilia, quæ, ſi lubet, lege & ſententiam mutabis, ſi modo euidentiſsimis rationibus aſſẽtiri velis. Mirum profectò illud eſt, quod tot capita præteruoles abſque aliqua animaduerſione: aut enim nihil habes quod

dicas, aut tacito consensu approbas Argenterii placita. Quæ verò de generatione, & differentia apoplexiæ, & syncopes scribis; ita omnibus absurda videri arbitror, vt superfluum mihi videatur ea refellere. Quo authore, aut qua ratione statuis, in syncope semper periclitari vitalem spiritum? & huius periclitationis esse causam solidarum partium intemperiem? in apoplexia verò nullum esse huiusmodi periculum, nec posse animalem spiritum ex intemperie cerebri pati, quod vitalis ex partibus solidis, à quibus gignitur, patitur: recte quidem, qua si tenuior non sit animalis spiritus substantia, quàm aliorum omnium; & cerebrum intemperaturis non sit magis obnoxium, quã cor, & aliæ ferè corporis partes, Præterea considera quæso quàm parum tibi in hac re constes: quandoquidem cum primum statuas animi deliquii causam solidarũ partium intemperiem, statim post paucas lineas autorem eius decernis obstructionem, quæ leuior syncopem, omnimoda mortem inferat. Verum vtramque forte ipsi causam assignas, & vtraque dicis vitalem spiritum paucum fieri, de quo nolo hic disputare, at interim illud disce, aliud esse docere paucũ spiritum fieri, aliud syncopes causam da-

re: Nam adeo non fit ea ſemper ex pauco ſpiritu vitali, vt etiam ex nimia illius abundantia ſæpe fieri eam contingat, quemadmodum videre eſt in timore, terrore, & id genus aliis animi perturbationibus, vbi reuocato ſpiritu vniuerſo ad cor nimia ſua multitudine ſæpe non ſyncopen ſolum, ſed ſubitam mortem inferre videtur. Non hîc addo inſignem illam diſtinctionem quam adfers, cum dicis non omnes ſyncope perire, quicunque intemperatura aliqua moriuntur: ſed ſolum illi qui ſolidarum partium laborant intemperie: quod quomodocunque intelligis, erroneum plane eſſe arbitror. Etenim ſi cordis intemperaturam intelligis, omnes qui hectica febre laborant, omnino ſyncope interire deberent: ſi vero cœteras corporis ſolidas partes dicis, iam qui tabe conſumuntur eodem illo affectu perire ac emori neceſſe foret: at experientia vtrumque falſum eſſe manifeſte oſtendit. Dicis, ſcribis, & legiſlatorum more ſtatuis hoc eſſe, illud non eſſe: nec Galeni, quem tu defendere ſuſcepiſti, autoritate, nec aliorum præſtantium medicorum patrocinio vteris, aut rationem aliquam adhibes, qua tuam opinionem probes. Eam vero doloris cauſam, quam Argenterius multis ratio

nibus necessario ad facultatem instrumentaque referri dicit, prætermissam à Galeno, vide quam otiose tu excuses: ob id nimirũ eam non esse perscriptam, quod scilicet tantum artis non habeat, vt artificiosè tractari postulet: nonne in rigore, singultu, & id genus aliis, eandem artem postulat ea causa? at in his Galenus aliàs eam tradidit. Quid præterea potest pro Galeno ignauius dici, quum ipsum excusas, quod varius esse solet in iis docendis, quæ sensoria & sensum afficere possunt, vt dolorem cõmittant, quàm quod tu in medium adfers? Galenum nimirum in iis in quibus seriò rem tractat doloris duplicem rectè statuisse causam, solutionem continui & alterationem, in aliis verò, in quibus neglectè hanc rem tradit, vnã solam ostendisse causam: qua confesſione simplici concedis Galenum multa scripsisse talia, qualiacunque forte in mentem venére, quæ cùm rem seriò agit, & cum iuditio docet, aliter se habere tradit. Quæ si vera sunt, vt planè sunt, quid repræhendis Argenterium, aut alios accusas, qui Galenũ cum iuditio legendum censent? qui ea quæ seriò (vt inquis) scripta sunt, approbant & rationibus confirmant, cœtera tanquam non seriò scripta rationum momentis exterminant

terminant atque explodunt. Sufficere possent hæc ad patrocinium præceptoris mei, sed vt studiosis artis nostræ satisfaciamus, reliqua quæ reprehendis in libro de temporibus morborum prosequamur. In quo Argenterius generaliorem expositionem desiderat in Galeno, quando is morbi cruditatem assignat pro tertia principii morborũ significatione: nimirum quod non omnes morbi cruditate principium suum definire queant; id quod Alexandrinus ita excusat quasi significatum illud Galenus non omnibus morbis commune statuerit; in quo primum à Galeno dissentit, qui in libro de totius morbi temporibus pluries hoc omnibus morbis expressè præscribit, & multis exemplis omnes eò reuocare conatur: deinde si id Galenus non voluit omnibus morbis commune, non debebat cœteris adnumerare principii significatis, quæ cunctis ex æquo morbis ex vsu sunt. Præterea pudendum errorem vocat Alexandrinus; si quis credat generationem morborum ad tertium diem extendi, in quem certè errorem, si is error est, Galenus incidit in libro de temporibus morborum: Statuit enim ille principium esse morbi tempus illud, in quo morbus gignitur, intelli-

gi autem gigni toto eo tempore,in quo nullum euidens incrementum aſſumit:quapropter ibidem explicate ſcribit initium vniuſcuiuſque morbi nō eſſe primum illum ſimplicemq́ue inſultum, ſed temporis longitudinem latitudinemq́ue ipſum habere ex antiquorum etiam autoritate tradit. Scribit Argenterius principii morbi nomine etiam donandum eſſe illud tempus, in quo æger morbo grauatus decumbere incipit, idq́ue neceſſariò, quòd inde decretoriorum dierum in morbis ſupputationem ordiamur. Verum Alexandrinus arbitratur hoc principium ſingulis aliis principii ſignificationibus contineri; quomodocunque enim modo ſumatur principiū, contingere, inquit, poteſt in eo vt æger decumbat: Sed non videt aliam naturam, aliam ſignificationem, aliumq́ue vſum huius eſſe, aliam cæterorum: & licet hoc principium in aliquo ex aliis contineatur, tamen diuerſum eſt ab eo quo continetur, inq́ue diuerſos vſus reliquis ob id addendum; neque ſatis eſt alterum ſub altero contineri, vt principium ſui generis ſuæq́ue naturæ non habeatur: nam hoc etiam duobus aliis à Galeno poſitis principiis vſu venire poteſt, vt ſcilicet aliquando trium aut quatuor dierum mor

bi ſpacio (quod principium intelligitur) cruditatis ſigna ceſſent; vel quòd illud principium contineatur eo, quod cruditatis ſignis circumſcribitur; quod licet ita ſe habeat, Galenus tamen diuerſa hæc inter ſe eſſe ſtatuit. In eo etiam erras Alexandrine, quod exiſtimas morbi tempora non duci à natura vel eſſentia morbi, ſed ex progreſsionis (vt inquis) motu, notisque quæ temporum diuerſitatem ſignificare poſſunt: Etenim notæ illæ vnde ſumentur, niſi eas vel à natura morbi, vel cauſis ipſius vel effectibus ſumpſeris? nonne progreſsionis motum ratione horum varium eſſe videmus? Scribis morbum non inchoare vel increſcere, vel vigere, vel declinare, quod aut calidus aut frigidus ſit. Scio, atq; illud etiam, quod has viciſsitudines ſubeat, eo quod in rerum natura ſit, quemadmodum cętera omnia, quæ genita exiſtunt, hanc mutationem experiri neceſſe eſt. Attamen tempora ſua alia atque alia habet, breuiora, longiora, cita magis vel tarda, quòd vel frigidus ſit vel calidus, aut hanc vel aliam eſſentiam ſit nactus: quòd tu etiam fateris inuitus cũ ſcribis ex caloris magnitudinis modo, ſiue vehementia & paruitate calidorum morborũ tempora dignoſci, Nam hæc differentiis ca

loris applicantur, ipſarumque nomine com prehenduntur, nec poteſt exiſtere, quin tali aliquo modo ſe habeat.

Verum ſi, vt vis, morbi calidi tempora ex modo magnitudinis caloris diſtinguuntur & cognoſcuntur, ſequetur vtique ex magnitudine diuiſionis idem fieri in morbis, qui fiunt in ſolutione continui: quod tamen tui immemor non admittis, & temerè Argenterium reprehendis, qui putat alienum à ratione, ſi quis conſtituat vlceris principium eſſe, quando ſanies tenuis, & multa gignitur, nimirum quod in ſola diuiſione omnes ſuas partes obtineat, nec vllam ſaniem vel pus ad naturam ſuam conſtituendã admittat: ad quod ea reſpondes, quæ paulo ante diximus, ſcilicet morbi tẽpora non duci à ſubſtantia morbi, ſed præter propoſitum. quorſum enim hæc quæſo? an agitur (tuo iudicio) de cognitione partium morborum, vbi de illarum diſtinctione pertractatur, & natura? Statuis præterea morborum generationem momento fieri, quod ſi verum eſſet, non erat profectò, quòd Galenus initio libri de morborum temporibus quæſtionem hanc proponeret & multis difficultatibus implicatam oſtenderet. An credis inflammationes minimo

temporis momento gigni, & principium absoluisse. At si hoc est, quur Galenus gigni inflammationes, & in principio esse toto eo tempore scribit, quo pars fluente humore repletur? Hæc tu non intelligis, non vides repugnare Gal. & à veritate esse aliena. clamas confundi, intricari res, & interim nihil dicis quod rectum sit, aut tradis quid explicatum. Qua fronte quæso absolutè pronunciare audes in vulneribus tẽpora ex cruditatis, concoctionisq́; notis cõstitui? quasi in omni vulnere concoctio, & cruditas spectetur aut dignoscatur, in hoc profecto ostendis nunquam te vulneris curationem, vel aliunde didicisse, vel ipsam esse aggressum. Non enim consistit vulneris natura, & constitutio in intemperie aliqua aut humoris collectione, quæ concoctione leuetur, vel alteratione, sed in sola vnitatis solutione, vt ex sola solutione, vnione & agglutinatione percurrat omnia tempora: quapropter solutæ partes iũctæ exiccantibus tantummodo, & astringentibus curantur, quorum facultas omne pus, omnemq́, saniem gigni facile prohibet, cunctaq́; coctionis & cruditatis indicia, qualia tu in vulneribus spectas promptè eripiunt, quo modo sæpenumero etiam ma-

gna vulnera iis medicamentis, quæ cruentis applicantur ab que manifesto saniei tenuis aut puris crassioris indicio ad sanitatē perduxi: quas vero tu cruditatis, aut co-ctionis notas in vulneribus esse credis (si quando quæ vulneribus cōiunguntur) nō vulnerum sunt, sed intemperierum, vel aliorum ipsis complicatorum affectuum notæ. Sed quid tecum de his rebus disputo, qui nihil rectum intelligere studes. Porrò in eundem errorem incidis, quum ea, quæ ab Argenterio dicuntur de natura & distinctione partium siue temporum in morbis, qui consistunt in conformatione, magnitudine, numero & coniunctione trahis ad cognitionem, quærisq́; quo modo tempora illa cognosci possint. Pleuritidis tempora melius dicis detegi non posse, quàm ab iis, quæ excernūtur: quod si ita arbitraris, aut inflāmationem pleuritim esse inficias ibis, aut à Galeno dissenties, qui inflammationū tempora distinguit pleraq́; ab humoris receptione, non autem ab illius excretione; Falsum præterea est tempora pleuritidis, licet ea lateat, detegi non posse melius, quàm ex iis quæ excernuntur, quum sæpe quædā tēpora is morbus perfecerit, priusquā quicquam expuere æger incipiat. Adhæc non

ne eodem modo pleuritis ipſa, eiuſque tem
pora ex actionibus læſis, dolore, & id ge-
nus aliis exquiſitè dignoſcuntur? Conce-
dis vitiatæ figuræ, & in magnitudine mor
bum, & intemperaturas tempora ſua habe
re, ſed non quatenus tales, qua dictione
quid tibi velis, non eſt facile conſequi. In-
telligis quidem habere hæc ſua tempora, vt
quiuis alius morbus, ſed ignoras, vt puto,
quænã ea ſint, aut quomodo diſcerni que-
ant. Quod de magnitudine linguæ dicis,
non ex magnitudine ſimpliciter eius tem-
pora ſumi, ſed ex magnitudinis ipſius incre
mento, vt ita dicas, imminutione & ſtatu,
friuolum eſt, vt non immerito ea proferre
non audeas ſine quadam, qua te excuſas,
præfatione. Quid enim per hæc intelli-
gere vnquam potes, quam ipſam magnitu-
dinem (in qua hîc morbi eſſentia conſiſtit)
nunc augeri, aliàs in eodẽ ſtatu perſiſtere &
aliquãdo decreſcere, quæ omnia ipſis ocu-
lis conſpicua ſunt, quẽadmodũ in pleriſq;
aliis, in quibus eſſentia morbi ſua tempora
prodit. In eo verò quod ſcribis morbos,
qui naturæ aliquando aut remediorum be
neficio ante expectatum (vt tu inquis) ſol-
uuntur, tempora ſua omnia percurrere, grà
uiter erras, atque ab ipſo Galeno euidẽter

diſſentis, qui in libro de Optima ſecta ad Thraſybulum apertè teſtatur rationibusq́; conuincit, morbos nõ omnes quatuor ſua tempora ſortiri, quod nonnulli, vel naturæ opera, vel artis medicæ beneficio temporibus aliquibus mutilentur: nam qui in ſtatu perfectè iudicantur declinatione, eo authore, priuantur, qui verò inter initia, priuſquam increſcant, adhibitis remediis delentur, & ſoluuntur, augmento & ſtatu omnino priuari neceſſe eſt: ea enim tempora præuerti ſuccidiq́, contingit. Quoties etenim febres hoc modo ſola ſanguinis ſtatim in principio larga detractione euaneſcere conſpicimus? quoties in morbi incremẽto debita purgatione exhibita, morbum aliquẽ ſtatim declinare, priuſquam ad ſtatum perueniat, obſeruamus? Quoties itẽ incipientes intẽperies, dolores & alios corporis affectus augeri & vigere ꝓhibemus? Hæc experientia oſtendit, quæ ſi tibi noua ſunt, omnino in artis operibus parũ exercitatus ſis oportet. Non addo hic, quòd in hac re neque Gal. ipſum ſcribentem, nec Argenterii placita perceperis. Etenim nõ illi loquuntur de iis morbis, qui errore aliquo producuntur, aut qui cura noſtra breuiores fiunt, nulla parte, aut tempore

intercepto, ſed de illis diſceptatio eſt, qui priuſquam increſcunt, aut ad ſummũ perueniunt, vel inde declinant, truncantur, intercipiuntur, vel mutilantur: quapropter ea ſimilitudine, quam hoc loco adfers nihil efficere potes. Præterea ſi Gal. in libro de temporibus morborum ſtatuit in morbis lethalibus incrementum ex lethalibus ſignis dignoſci, principium verò ex morbi generatione, nonne ſequitur nullũ poſſe mori ante morbi augmentum? nam quo pacto quæſo morietur aliquis morbo, antequam emergant mortis indicia. Contendit Alexandrinus ſemper ſumi ſigna ex concoctione & cruditate, ad dignoſcendũ tempora in omnibus morbis, qua quidem opinione quid poteſt eſſe abſurdius? Nam vt pulchrè Argenterius docet infiniti propè ſunt morbi, in quibus nihil eſt concoquendum, & propterea ex ſignis concoctionis, & cruditatis nullæ notæ capi poſſunt. Sed ne te diutius in his torqueã, percurramus ſi placet quæ annotaſti in libris de ſignis: fortè enim illic inueniam in quo tibi triumphum canere poſsim: quod certe paratus ſum facere, ſi quidpiam modeſtiæ aut fœlicioris ingenii, vel ſincerioris doctrinæ in te quàm in Argenterio inuenero.

Verum ex capite primo nihil horũ deprehendere valeo, ſed potius inanem quandã cauillationem: quam neſcio an malignitatẽ euidentem dicere debeam: quandoquidem artem quam ille ſibi proponit in explicatione tantæ rei, ab omnibus veritatis ſtudioſis ſummopere laudandam, & amplectendam, nec ab aliis hactenus expreſſam, damnas, irrides, & ſine vlla ratione illudis. Præter hæc vide quid dicas: reprehendit Argenterius capite quarto Gal. quod ſignorum genera, & differentias methodo nequaquam docuerit, idq́; probat congeſtis omnibus locis, in quibus Galenus id facere aggreditur. Tu vero nullis adductis locis, in quibus methodus illa appareat, ſcribis recte omnia à Galen. eſſe tradita: hoc non ſufficit mi Alexandrine, ſed Argenterii argumentis reſpondere te oportebat: aut ex Gale. afferre illam diuiſionem, quæ vt ais appoſitè, explicatè ex ſummisq́; generibus trahit omnes ſignorũ differentias. quærit Argenterius, & ſuo labore, ac ingenio nititur addere, quæ à maioribus noſtris ſunt prætermiſſa, non autem arcere à Gal. libris, vt tu male affectus interpretaris, medicinæ ſtudioſos. Cæterum hoc loco videris negare à cauſis ſumi ſigna aliqua, vt qui

ſolum à ſubſtantia, & accidentibus rerum eadem dicas accipi, & cognitorum poſtea cauſas inquiri. Scribis tibi non videri abſurdum, ſi ſigna inſalubria præter naturam ſint: ſed certe crede mihi, non bene vides, nam hoc ſequitur, ſi ſalubria, inſalubria, & neutra continentur ex Gale. tractatione in arte medicinali in latitudine ſanitatis, in qua nihil quod præter naturam ſit reperiri poteſt, quomodo inſalubre præter naturam tibi erit, ſi Galeni placita aſſerere cõtendis? Nolo nunc tecum diſputare, an in laqueos, & tricas, vt ais, ſe coniecerit Argenterius quum de ſalubri, inſalubri, & neutro in hoc opere diſſerit: res enim eſt maioris negocii, quod ille in commẽtariis ſuis in artem medicinalem præſtitit, & tricas, laqueosq́;, quibus ferè omnes hactenus ſunt capti, ſoluit. Galenum certè negligenter legiſti, quum aſſeris illum nunquam variare neutri ſignificatum: nimirũ quum ſemper inter ſana, & inſalubria corpora neutra ponat: nam ſi ponit neutrum inter ſanum, & inſalubre, te authore: & inter ſalubre, & inſalubre, vt conſtat in primo libro artis medicinalis: & inter ſanum & ægrum, vt libro quinto de ſanitate tuenda, vbi de ſenibus agit, & in tertio artis me

dicinalis vbi conualeſcentes ſenes, & paratos iam cadere in morbos à ſanis, & ægris diſtinguit: nõne ex his agnoſcere deberes, non eadem ſemper poni extrema, & ꝓpter ea non eſſe ſemper idem medium, de quo mentio fit. Si Gal.8.cap.artis medic.in latitudine ſanitatis dicit cõtineri ſalubria, inſalubria, & neutra, deinde ſequi corpora quæ iam ægrotant, quo pacto aſſerere potes, inſalubria vt nunc, ea eſſe quæ iam ægrotant? hoc dices ſcribit Gal. verum quidem, ſed perperam, vt qui principia ſua non ſeruet. Si enim ſalubrium, & neutrorum nomine comprehendit omnia, quæ ſimpliciter, ſiue prorſus, & ea quæ vt nũc ſiue prorſus, talia non ſunt, comprehẽdet vtique & omnia inſalubria, quare nullum inſalubre relinquetur extra latitudinem ſanitatis, aut ſalubria, & neutra, vt nunc, dicemus non comprehendi in ea latitudine: quippe cum eadem ſit ratio inſalubris vt nunc ad inſalubre ſimpliciter, quæ eſt ſalubris, & neutri vt nunc, ad id quod ſalubre, & neutrum ſimpliciter dicitur. Sed has argumentationes logicas tu certè nõ intelligis, vt qui in facilioribus. iam ſæpe erraueris. Diuiſionem ſignorũ quã habet Gal.12.aphor.primi libri damnat Ar

genterius quòd non omnia ſigna comprehendat in arte medica neceſſaria, eam tu bonam oſtendere conaris, quòd ad morborũ cognitionem pertineat, rectè quidem, ſi ad minimam partem eorũ quæ medicina tractat contrahas, quod in vniuerſa arte quæritur: non ſatis eſt Galenum hoc modo excuſaſſe, non ita oſtendis ſignorum perfectã diuiſionem traditam: quare conſultius factum eſt, vt vbi reſpondere non potes, ſtatim eò confugias, vt dicas te nolle omnia perſtringere, multa eſſe reſpõſione indigna: ſed hoc mi Alexandrine non eſt Galeno patrocinari, ſed tuam imbecillitatem prodere. Tu ſolus Argenterii tractationem de ſignis damnas, quod ſummæ ingratitudinis eſſe indicium arbitror. O egregiũ methodi cultorem, qui tutius, meliusq́; eſſe putet à riuis, quàm à fontibus exordiri, hocne te docuit Plato, Ariſto. Gal. Porphy. & alii doctiſsimi logici, philoſophi & medici? omnia rectè facit, inquis, Gale. omnia ſuis locis appoſitè docet, ſit ita, ſerua tibi hanc opinionem: ego verò hoc non video, nec tibi credere ſine ꝓbatione poſſum, ſed decretum eſt alios qui melius te doceant ſequi, imitariq́; ac Galeno tantum tribuere, quantum ratio iubet, vbi ab ea diſcedit, quẽ

uis alium bene dicentem potius ſequi. Ais te non intelligere quod ſcribit Argēterius febrem ex caloris qualitate dignoſci: nec enim te ſcire cuiuſmodi qualitatem dicat ille. Quòd ſi legiſſes quæ Gal. de hac re ſcribit libro primo ad Glauconē, item primo de Differentiis febrium, atque etiam ſecundo de criſibus, non tibi hæc noua viderentur, quæ ſi non intelligis, & admittis, vt te doceam hæc puerilia audi, libenter hoc faciam in tui gratiam. Blanda & mitis caloris qualitas in genere febrium nec quæ multum a naturali euariat, diariam ſignificare ſolet: acris & mordax putridam, quæ perinde ac fumus nares & oculos, ſic ipſa erodere tactum videtur, atque hæc differentias ſuas admittit: nam acris & vehemens tertianam indicat: quotidiana humida exhibet, & fumoſam, cætera non opus eſt hoc loci proſequi, quod facerem, niſi hæc tibi ſufficere arbitrarer. Quæ deinde ſcribis vehemēter miror, ac neſcio quomodo audeas te medicum & Galeni defenſorem profiteri, ſi ignoras, imò negas a cauſis morbi iam facti, notas ſumi, an non Gal. in libris de Differētiis febrium agnoſcit febrem eſſe diariam, ſi cauſæ quæ febrem pepererunt, ſunt procatarcticæ, & leues: imo id dicit eius eſſe præ

cipuum & inseparabile indicium. Dispeream, nisi me pudeat hæc tractare, præsertim quod nullum finem inueniam tuis erroribus detegendis: Nam quid absurdius est, quàm negare ex similitudine, & ꝓpportione rerum sumi inditia, & si quæ sumuntur, ea contineri (vt inquis) constitutione cœli, aut anni tempore: quum enim Gal. ait lib.1.ad Glauc. iudicandum febrem esse tertianam, aut alterius generis, si huiusmodi sunt febres, quæ eo tempore passim alios infestant: quis non uidet hoc genus signorum ex similitudine, & proportione quadam sumi? Et quid confert cœli status, aut anni tempus ad hoc: quum nō solum ex his causis, sed etiam ex victu cōmuni, & aliis rebus iidem morbi affligere possunt, sed absque aliqua causarum morbi mentione, ex eo quod aliis accidit, statim colligere licet, tanquam ex signo quodam, quid de eo censendum sit, de quo agimus, nec vt tu quidem arbitraris similitudo huiusmodi, & proportio, coniectura est, sed ex illis, vt ex aliis rebus, à quibus signa sumuntur, coniectura ducitur: Admirabor certè tuum ingenium, si quidpiam ostendere possis, quod rem, de qua agimus, necessario sequatur, vel antecedat, aut comi-

tetur, nihil tamen, vt tu dicis, ad rem illam dignoſcendam faciat. Cœterum vnde colligis in primo capite, ſecundi libri de ſignis Argenterium arbitrari, præſentes affectus ex præteritis potius, quàm ex præſentibus rebus dignoſci poſſe: & quoniam nihil intellexiſſe videris eorũ, quæ ille eo loco ſcribit ad alia tranſeo. Requiris cap.3. exemplum quo intelligere poſsis, actionem læſam affectum ipſum patefacere: quod quidem ego non ſum iterum allaturus, nimirum quod in eo cap. ex ipſo Argenterio abundè ſuppetat, quòd ſi cogis me vt in tui gratiam id faciam, dicam: nonne actio læſa præter naturã abſolutè conſiderata morbum oſtendit? ſic ſanè eſſe fateberis, ſi vnquam reſipiſcere velis: Mirum eſt, quod intelligere nequeas à cauſis poſſe ſigna ſumi ad res præſentes dignoſcendas, ſed ſolum ad aliquid futurum prædicendũ: ais enim cauſas ſolum aliquid facere, & ex eo quid futurum ſit, præſagiri, facit quidem cauſa, verum non omnis, ſed quæ ſolum eſt efficiens: & quæ huiuſmodi eſt, ex cognitione eius quod facit, ſignificamus quid iam fiat, aut fieri poſsit, aut iam ſit factum: Egregiam ſanè interpretationem, aut excuſationem quam adhibes vbi Argenter. docet,

cet, Galenum humorum indicia methodo nequaquam docuisse. ais enim, eum arte rem tractare, qui vtiliter tractat. Ergo omnia quæ vtilia sunt, arte constant, & methodo. toties crede mihi de arte, & methodo male sentis, quoties de illis loqueris. Bene, si Diis placet, ex Gal. didicisti saporum generationem, quum dicis ex amara bile per assationem, atram acidam fieri posse: vis enim amara tandem amittere per assationem suum calorem: quod etsi tibi concessero, non propterea acidum induces saporem: quoniam is Galeno authore frigidus simul est & humidus. at per assationem etsi digesto calore humores frigidiores reddi possunt, certe humidiores, retenta propria forma nunquam fient. Capite octauo vbi de multitudine agitur, moues mihi risum, quum in cacochymia in qua bilis abundat, scribis naturæ modum ipsam bilem excedere, non tamen eam redundantiam recte dici multam. Si enim modum naturæ excedit in corpore bilis, multa ꝓfectò est: nã multũ quid aliud est, quàm quod mediocritatem excedit: hæc enim nomina calidum, frigidum, humidum, siccum, paruum, Galeno teste, vsurpantur à medicis ꝓ eo quod est calidius, frigidius, humidius,

ſiccius, plus & minus quàm oportet, ſed hæc differant ſi velis: Cœterum quum dicis bilis redundantiam, ad quid quæſo ſpectas aliud, quàm ad alios humores, cum quibus eo quòd non ſeruet ꝓportionem, multum eſſe bilis in corpore, vel bilem redundare, vel corpus plenum eſſe bile, quilibet dicit. Explicarem hoc loco quid per qualitatem humorum intelligat Gal. quum dicit, purgationem eſſe humorum qualitate peccantium euacuationem, niſi fruſtra hoc facerem, quia putas te omnia ſcire, quum pleraque prorſus ignores, ſed aliorum ſtudioſorum gratia, paucis rem expediam: igitur cum ſcribit Galenus in cacochymia humores qualitate peccare, non intelligit, vt tu arbitraris, nullum humorem exuperare, hoc enim fieri nequit, ſed vniuerſam humorum maſſam quæ purgatur exuperante aliquo humore vitiatam ſuam habere qualitatem: nam bile, aut pituita, aut ſeroſo humore exuperante (in quo caſu purgatio adhibetur) vniuerſa humorum maſſa non augetur, ſed qualitatem mutat. Itaque ſicut intelligimus nomine humorum, vniuerſos humores contentos in venis, cum dicimus, ſanguinem eſſe mittendum, vbi humores quantitate abundant: ità quum dicimus

purgatione esse vtendum, quando humores qualitate peccant, humorum nomine intelligimus omnes humores, non eum qui educitur: hic enim non purgatur, sed ex illius euacuatione purgantur alii, qui manent, & ipsum corpus purum redditur. sed non opus est hæc latius prosequi: at satis est te nequaquam intelligere id quod in hæc verba scribis; humorum vitium repurgamus, qualitatem potius spectantes. In plenitudine verò quãtitas omnino aliqua quocunque tandem pacto dematur opus est primaria ratione, quod prorsus aptari cacochymiæ haud potest: vnde nec plenitudinis vocabulum. nescis enim quid sit quantitas humorum, & male existimas, quantitatem nullã illic exuperare; nam exuperat omnino aliquis, nempe is qui cacochymiæ est author, idest malam reddit humorum massam: hæc autem non in quantitate, sed in sola qualitate tunc vitium suum habet.

Cœterum ne te pasim errantem à vero omnibus ostendam, aliquot capita tuo more, præterire volo: nam quum tu nihil aliud in illis dicas, quàm quod omnia recte à Galeno sint explicata, nec interim Argenterii argumentis respondeas, sed omnia sine ratione nec non vllo boni autoris

exemplo contemnas & illudas; quid aliud in hac re afferre possem, quàm tibi in his (quid me deceat spectans) modestè cedere, ac tuam tibi opinionem integram relinquere. Esto igitur, quoniam ita vis, Galenum omnia optime, Argenterium vero omnia superuacanea & inutilia docere, serua hanc mentem tibi; etenim ego, multique alii aliter sentimus & agnoscimus, quid, quantumque quilibet illorum præstiterit. Iam vero videndum quid in libro tertio de signis Argenterium reprehendis: Ais illum ignorare differentiam quæ est inter signa, quæ res præteritas docent, ab illis quę ex præteritis presentia aut futura indicant: quod quidem nescio vnde colligas. nam ex opere ipsius Argenterii nemo mentis compos hoc ipsum elicere poterit, tu hoc somnias & interim censes Argenteriū imposturam sibi ipsi facere, At multo magis cauere debebas ne tu supino errore tibi imponeres: quid.n. magis erroneum est, quàm quod tu credis omnia præterita quorū inditia quærimus, causas esse aut causarum rationem habere. An cum inuestigamus modum quo genitus est morbus, aut tempus, vel locum, vel sanitatem quæ præcessit morbum, aut accidentia sanitatis vel morbi, causarum no

tas inquirimus? Illud vero non te pudet asserere superfluum inutileque esse longorum morborum præsagia peculiari tractatione complecti, & hæc esse minimi momenti, intelligiq; posse ex prædictionibus morborum acutorum. Nam quomodo ex signis morbi acuti duci possũt præsagia morbi longi? & quo pacto parui hæc erunt momenti quæ medicum à calumniis liberant, & vniuersam curandi rationem mutant?

Quid quod scribis non apparere pugnam in morbis longis inter naturam & morborum causas, nec in illis fieri excretiones. Nonne vidisti sæpe quartanas febres sudore copioso, aut vrinæ, vel alui profluuio à sola natura discuti? Putabam te Alexandrine quia ingenio parum vales, medendo & experientia aliquid saltem præstare posse, sed quantum video in eo quoque non admodum es exercitatus. Vbi de signis bonis & malis loqueris, non es memor contrariorum esse eandem disciplinam, vt ea ratione mala simpliciter pronunciata signa intelligenda sint, si simpliciter bona protuleris; non autem ea solum mala, quæ verè lethalia (vt dicis) sunt, sed solum quæ malũ portendunt. Eodem capite de sanitate & morbo sine ratione scribis, sanitatem scili-

cet partium totius corporis affectum quendam esse; morbum vero vnius alicuius tantummodo partis esse posse, quo quid quæso potest absurdius dici? Si enim sanitas & morbus contraria sunt, nonne ex contrariorum natura opposité dicetur de morbo in omnibus, id quod de sanitate dici potest? Si sanitas est totius corporis affectus quidã, morbus quoque affectus totius corporis contrarius sit oportet. Si morbus vnius alicuius tantummodo affectus esse potest; necessario quoque idipsum de sanitate intelligere debes. Cœterum quod ais te intelligere non posse, quod scribit Argenterius nõ necessario sequi suppurationem in pleuritide si cruda & non maligna adest inflammatio: contingere enim posse vt tarda sequatur concoctio. Quid enim, inquis, differt suppuratio à concoctione? dic tu quæso, vocabis ne Alexandrine materiam, quam expuunt pleuritide laborantes benè concoctam, pus, quale illud est quod aperta vomica effluere solet: hoc ex suppuratione fit: sputum vero illud laudabile, cuius notas tradit Hippocrates per huiusmodi suppurationem nequaquam fit, nec puris naturam & qualitatem refert; tamen ab omnibus concoctum appellatur & longe diuer

ſum iudicatur à pure. Prætereo paſsim illa tua ſubterfugia, quibus Galenum defendere niteris, quòd ſcilicet omnia recte ſint ab eo dicta, nihil ignoratum; quòd ea quæ in eo deſiderantur, eo loco tradere noluerit: vel quòd ex aliis intelligi poſsint; vel ſimplicem naturam habeant, in qua explicanda arte non eſt opus. Hæc & ſimilia quilibet dicere poteſt, ſed interim lectori non ſatisfit, nec Argenterii argumentis reſpondetur. Illud vero tranſire nõ poſſum, quod dicis Criſes proprie non eſſe vocandas eas ſolutiones, quæ abſque febre morbos, ſanguinis profluuio, aut vomitu, aut vehementi alui excretione, abigunt. Nam quid aliud quæſo eſt criſis autore Galeno, quàm mutatio quæ in morbis confertim fit, quæ non in ſolis febribus, vt tu arbitraris; ſed in aliis vniuerſis fit, qui nati aptique ſunt per vehementes mutationes diſcuti. Quis etiam illud ferat, quod tu aſſeris in morbo qui nõ ſit magnus, poſſe fieri magnas mutationes: Nam ſi criſis de qua agimus, ex naturæ & morbi pugna naſcitur, nequit profecto in exiguo certamine magna fieri mutatio, ſed hic leuior error: at ille maior eſt, in quem incidis, cum pronuntias tertianam exquiſitam, morbum magnum dici poſſe, quod ad

medium ſui generis collata magna ſit. Nam ſi magnus eſt morbus, te & Galeno autore, ſequitur ſtatim in ea mittendum eſſe ſanguinem; quod quidem Galenus nunquam ad mittet, vt qui dicat ſola refrigeratione curari, & leuiora remedia in hoc malo ſufficere. Volebas forte dicere tertianã vnam in ſuo genere magnam eſſe & dici poſſe, quod tibi concedo, in eo tamen erras quod eandem magnum morbum eſſe cenſes, quandoquidem hanc leuiſsimam, ſimpliciſsimamque, vt noſti, Galenus ad Glauconem appellat. Adhæc ſi huiuſmodi collatio morbos facit magnos; etiam in diariis febribus & in aliis vniuerſis morbis erunt morbi magni: quippe cum in illis reperiatur vnus alio maior: ergo in omni genere morbi ſanguis eſſet mittendus. Vide mi Alexandrine quo te trãſuerſum ducat iſta tua egregia propugnatio, quam vtinam tui honoris cauſa nunquam aggreſſus eſſes: toties enim erras, quoties loqueris. Nam eo quid etiam abſurdius, quod ſcribis morbos lethales & ſimul concoctu faciles eſſe poſſe? nam ſi bene memoria tenes quæ Hippocrates & Galenus paſsim tradunt, concoctio in morbis ſecuritatem pollicetur. Verum in eo opere quod ſequitur de Officiis medici, forte me

lius aliquid dices: quare relictis hîc quibusdam, quæ nullius plane momenti sunt, vlterius progrediamur: age igitur videamus quantum in ea parte excellas, quidque in ea respondere possis, quam omnes boni & docti non solum laudant, sed etiam admirantur & suspiciunt, tu vero statim ab initio calumniandi hunc laborem occasionem sumis. Nam Argenterius Medicinæ partem hanc, quæ huius operis est de Officiis Medici inscribit: non quod neget (vt tu illi imponis) Medici officium esse, morborum causas & signa cognoscere (hoc enim ipse eodem capite fatetur) sed quòd aliarũ rerum cognitio per se nequaquam requiratur, verum quatenus illa ad medendum, sanitatemque conseruandam conferunt, tanquam sint hæc præcipua Medici officia, nimirum quorum gratia reliqua omnia sint instituta; quod tu etiam fateris. Ille igitur hæc absoluto sermone Medici officia vocat: dic errat ne si officia quæ pręcipua sunt in suo hoc instituto aliis cõtemptis, de quibus hoc loco agere nequaquã instituit, nuncupat medici officia? vis tibi dicã quod sentio, videris mihi iniquo iuditio rem suscepisse, vt de iis, quæ non intelligis, sententiã proferas: Nam in eo etiam hallucinaris,

quod cum videas Argenterium requirere in Galeno aliquid collectum, & metho lo tra ditum, quo medici vniuersa officia intelligantur, tu respondes, præcepta à Galeno tradi, quæ ad medicum instituendum faciunt: Verum non eo loco Argenterius exigit à Galeno præcepta medendi, sed numerum eorum, quæ à medico præstanda sunt, dum is artem ipsam factitat. Negas verbum restaurare latinum esse: quòd si id forte apud Ciceronem non legisti, parum refert, latinum tamen est, à latinis, eisque approbatis autoribus vsitatum, id qui negat omnino latinæ linguæ imperitus esse debet, atq; Tacitum, Iustinum, Vlpianum, qui eo vocabulo vsi sunt, ex latinorum authorum numero excludere: sed qualecunque sit, abstine quæso tu ab huiusmodi reprehensione, quandoquidem nimis asper, & sordidus es in tuo sermone: accusa omnes eodem negocio Galeni interpretes qui quoties eo vocabulo est opus, liberè eo sunt vsi: accusa & alios latini sermonis authores qui hoc nomine non raro vtuntur. Sed ad verba hæc nihil dico, quæ tu in quæstionem vocas, quòd de rebus nihil habeas, quod legittimè reprehēdere posis. Ad ea verò quæ affers, de nomine curationis, & præcautionis, præ

terea de conſeruatione, conſuetudine nolo reſpondere, quippe cum quilibet agnoſcere poſsit ex lectione tuarum rerum, & Argenterii opere quàm ineptè & temerè Galenum excuſare tentes: piget quoque me ad ea reſpondere, quæ de ſcopis ſcribis: ſunt enim illa tam confuſe, tàm ineptè, & perperam dicta, vt quilibet abſque mea cenſura, deprehendere poſsit qualia ſint: nam ſcribis in arte medicinali duos ſtatu ſcopos à Galeno materiæ videlicet medicæ qualitatem, & quantitatem, & eos non eſſe curandi ſcopos, ſed eius quæ circa ſalubre, & inſalubre verſatur materiæ, quid (quæſo) ex his verbis ſignificare vis? an putas materiã ſibi qualitatem, & quantitatem conuenientem ad cõſeruationem, & mutationem corporum præſcribere? an ipſum artificem eligere debere materiam, idonea qualitate, & quantitate præditam? illud abſurdum, hoc verò quid aliud eſt, quam certos ſcopos ponere, ad quos ſemper ſpectare debet medicus, dum in curatione, vel alio medici officio, rectè vti materia vult, Aliud ergo eſt materiam ſupponere, aliud eligere poſſe eã, quæ proprias, ad id quod facere volumus obtineat qualitates, & iuſtam menſuram: hoc artis, & artificis eſt munus, Il-

lud verò vniuersis commune. Ac quod tem
pus, qualitas, quantitas, differant à materia,
& illius non sint, sed artificis scopi: ex eo
patet, quod materia nullos scopos sibi pro
ponat, sed solus artifex qui ex electione
agit: quid prætereà in hoc clarius est eo,
quod scribit Galenus capite octuagesimo
quinto artis medicinalis: eo enim loco po-
steaquam recensuit vniuersa quæ possunt
nostrum corpus immutare, ità scribit.
Omnia igitur nunc dicta genera materiæ
quædam sunt salubrium causarum, at vsu
oportuno, & debita qualitate & quantitate
adhibita, salubres causæ fiunt, alioqui in-
salubres euadunt: ex quibus verbis satis
ostendit, artificem ab eo qui arte caret in eo
differre, quòd cum vterque materiam habe
re possit aptam ad mutandos corporis affe
ctus, hic nesciat ea vti: ille verò huius rei
scientiam teneat, quæ res eo authore in hoc
consistit, vt certam qualitatem, & quantita
tem in ea præscribere valeat. Quid ergò in
hoc miraris? quid dicis subticeri quæ tu
non intelligis, & putas alios ignorare? Vi-
de quam rectè locos discrepantes de nume-
ro scoporum inter se componas: occasionẽ
enim constare scribis, temporis opportuni
tate, & modo, quod planè asseris contra

ipſum Galenum , qui primo ad Glauconẽ vtendi modum, à tempore ſeparat; Rectè & illud quidẽ facis, ſi putas ad ſolos Cheirurgos pertinere citò , iucundè , & tuto curare : Mirum & illud, quod ſcribis ordinem non eſſe ſcopum in remediorum vſu, ſed compoſitorum affectuũ tractandorum modum. Dic (quæſo) an in vſu ciborum , & medicamentorum, vbi ſimplex eſt affectus, non refert præponere hoc , vel illud alimentum , vel remedium ; hoc ne paſsim docet Galenus ? quum in libro de ſanitate tuenda expendit quæ alimenta prius , aut poſtea ſint aſſumenda : quid antecedere debeat, an labor, vel cibus , vel potus, vel ſomnus, aut vigilia: hæc ab eo docentur in homine ſano, vbi nulla eſt complicatio affectuum . Iubet etiam idem author , vt præcedat ſanguinis miſsio purgationem, vbi in eodem affectu, vtroque remedio eſt opus . Malè me habet, quod cogar hæc explicare quæ omnibus ſunt notiſsima. Locum verò Galeni de temporibus morborum in quo quid καιρὸς ſit notat Argenterius , ſed quàm friuole tu ſubterfugias illius animaduerſionem aliis conſiderãdum relinquo, vt & alia quædam, quæ in eo capite ineptè ſcribis ; ſed iam (ſi lubet) accedamus ad ea quæ in poſtremo

libro operis Argenterii pro Galeno affers: qua quidem in re prætereo, quod dicis omnia quæ docet Argenterius in Galeno desideranda esse, recte, & suo loco ab hoc authore fuisse tradita: hoc enim mi Alexandrine quo loco id fiat, te ostendere oporteret: sed illud quis ferat quod scribis, nihil aliud esse analogismum, quam indicationum ipsarum considerationem: nam in libro de optima secta, & paßim alibi hæc inter se ab ipso Galeno disiunguntur, tamquam diuersa, & natura discrepantia instrumenta: possem ego multa in hanc rem dicere, sed non opus est hæc attingere, præsertim quod totus hic liber Argenterii in hoc versetur, vt indicantium, & contraindicantium, numerum, naturam, vim, & vsum explicet, de quibus rebus, nihil (vt video) intelligere vnquam cogitasti: nam quàm sanctißimè colit horum distinctionem Galenus; tu vt cum eo (si diis placet) recte sentias, egregiè contemnis, nec referre putas, si indicantia pro contraindicantibus sumantur: quo posito inanis redditur mea aduersus te disputatio; nam si Galeni principia retinere non vis, & ea quæ natura, & vsu inter se discrepant, confundis; vnde mihi licebit argumenta colligere? nisi fortè expectes hoc à

me vt dicam te pleraque ignorare; & nihil vnquam de his rebus recte intellexiſſe. Miror hoc loco, quod tandem fateri audeas perperam à Galeno dictum eſſe contrarietatem indicare curationem, etſi interim fruſtrà coneris errorem hunc tegere. nam ais Galenum ponere contrarietatem eſſe ſcopum generaliſsimum non autem indicationem, quod quidem apertiſsime Galeno repugnat; non enim ipſe dicit nono Meth. contrarietatem eſſe ſcopum, ſed indicationem, ſed quis illud te docuit, ſcopum & indicationē idem re eſſe? Argumentatur hoc modo Argēterius: ſicut communitas ad cōmunia, ſic contrarietas ad contraria ſe habet. Atqui negat Galenus communitatem indicare, quia non deſtruitur, ergo colligit Argenterius nec contrarietatē indicare poſſe, quòd illa non deſtruatur: tu ineptè hoc colligi pronuncias, & obiter vim argumentorum ſubterfugis, aut (vt verius dicam) non intelligis: nam quid magis ridiculum eſſe poteſt, quàm quod ais, Galenum longe aliter de contrarietate intellexiſſe, quàm methodicos de communitatibus, quis hoc ignorat? in hac diuerſitate non ſtat vis argumenti Alexandrine, ſed in eo, quod neutrū iſtorum curetur: ex eo enim ſequitur cura-

tionẽ non indicari à contrarietate,quia nec à communitate,eo quòd hæc non curetur, indicari poteſt. Illud verò qua ratione dicere potes,aut intelligere,contrarietatis nomen abſtractam,aut non abſtractam ideam quandam ſignificare? dic quæſo quid his nominibus hoc loco intelligere poſsis? Inſtas rurſus Gal. nequaquam dicere contrarietatem nõ eſſe indicationem, ſed ſcopum generaliſsimum, qua quidem in re hoc video eſſe opus, vt tibi locum, & verba ipſius Galeni oſtẽdam. Lege nonum meth. capite decimoquinto, vbi hæc ad verbum ſcribit. Atque ita rurſus vna ſola erit curationum maxime generalis indicatio, nempe cõtrarietas,quid ad hæc dicis? quid amplius patrocinari vis Gal. quem (vt video) negligentiſsimè legiſti, quid exclamas Argenterium impunè non eſſe ferendũ?ò malignitatem ingenii, ò barbariẽ hominis immenſam: non feremus ſcilicet illum, qui nos à multis erroribus liberauit, & continuo labore, ac ſtudio artem noſtram expolire, & perficere nititur: te verò feremus, & vt optare videris, laudabimus, qui nihil vnquam boni in literis præſtitiſti. Te ipſum iam alloqui non poſſum, quem video ratiõis limites egredi: vos verò alloqui me

dicinæ

dicinæ ſtudioſos, & rogo vt expēdatis vim huius argumenti : ſcribit itaque Gal.initio tertii libri meth. indicationem à rei natura ſumi, & propterea abſurdum eſſe, aliud ſtatuere quod curationē præſcribat diuerſum ab eo, quod curatur, & propterea morbū eſſe, qui curationem indicet, nonne ex his ſequitur ſolum morbum curationem indicare? vt Argenterius colligit : nam ſi vnum ſolum, vnum indicat, vt Gal. aperte teſtatur vndecimo metho. & contrarium indicatur ſolum à contrario, ſi morbus ipſe curationem indicat, nihil aliud eſſe poteſt, qđ idem faciat : hic verò homo vt apparet rerum medicarum ignarus, cum principia huius tractationis nequaquā intelligat, exclamat Gal. peruerti, & aſſerit alia eſſe poſſe præter morbum, quæ curationem indicent. quod quum oſtendere vult enumerat coindicantia, & contraindicantia, illaq; indicare dicit, nec curandum eſſe, quo nomine hæc omnia nuncupentur. At de nominibus quæſtio non eſt, ſed de rebus natura inter ſe diſtinctis:quas qui explicare vult non debet eodem nomine cōfundere : hoc (quod ipſe Argenterius) fecit Gal. in libro de optima ſecta, idemq; vndecimo metho.

quibus in locis admonet eos attingere non debere medendi artem, qui ignorãt vnum duntaxat indicare posse vnum, & vnum posse solum indicari ab vno: nimirum quòd vnum habeat vnam solam naturã, quæ vni soli opponi potest: plena sunt his omnia apud Gal. quorum vim quum iste non intelligat, agnoscere non potest quid bene, aut malè ab alio dicatur, quod etiam in hoc ostendit: nam ideo aerem indicare scribit, quòd sine eo viuere nequeamus: ergo huius opinione remedia ipsa erunt quæ indicabunt, aut certe id quod vim habet tollẽdi morbum, aut sanitatem conseruandi, idest materia medica: at hæc ipsa non est quæ indicat, sed indicatur: est enim indicare requirere aliquid quod iuuet, & fugere quod noceat, hoc autem ipsum facere nõ potest, id quod iuuat, sed quod iuuamẽtum requirit. sed quorsum laboro in hoc instituendo: operam enim & oleum (vt aiunt) iam dudũ me perdere sentio: quare age ne diu hærendum nobis sit, reliqua absoluamus. fatetur ille temperamentũ ægri quod præcessit morbum, non amplius esse, & tamen ipsum indicare; id quod asserit prorsus cõtra Gale. qui ab eo quod recessit, nec am-

plius eſt, nullam ſumi poſſe indicationem pronunciat: hanc diuerſitatem quærit, quã inuenire non poteſt, cur inquam externæ cauſæ, quæ morbis illatis abierunt, indicare non valeant: temperamentum autem qđ amplius non eſt indicare poſſe credatur: eadem eſt in vtroque ratio, cui nemo reſpondere poſsit, niſi certis cauillamentis, & vanis quibuſdam diſtinctionibus. nam quid ineptius dici poteſt, eo, quod ille ſcribit, ætatem, conſuetudinem indicare, quatenus hæc ſtatum quendam recte ſeruatæ faciunt. ſi enim hæc conſiderãtur, quatenus corporis ſtatum alterant, & vt ille, improprie nimis loquitur, faciunt, ſunt auxilia, & materia medici: At hæc vt iam dixi indicantur, nequaquam verò indicant, ſi modo Galenum ſequi velimus, quẽ iſte paſsim ignorans proſequitur, lacerat, & corrumpit. In hoc enim nullum errandi finem facit. Nam quod Galenus aſſerit vnum indicare duntaxat vnum, ita iſte interpretatur vnum, vt nihil impediat illud diuerſis rationibus conſideratum poſſe plura indicare: verùm ille ignorat vnicam eſſe eius quod indicat naturam, & rationem: vel enim ſecundum naturam eſt, & ea ratione conſideratur, vel

præter naturam , aut inter hæc medium: ex quo fit,vt id quod ſecundum naturam eſt, & nihil aliud præter illud , ſui conſeruatio nem ; id verò quod præter naturam exiſtit, ſolum indicet ſui ablationem: quod autem neutrum eſt, & medium , neutram , & mediam actionem, & materiam medicam indicet . dicat ille (quæſo) an id quod præter naturam eſt,alia ratione poſsit conſiderari , quàm quod inimicum , & noxium ; quod autem ſecundum naturam eſt , aliter quàm vt familiare,& amicum, id autem cõ ſeruandum , illud mutandum eſſe oſtendit, nec aliud quidem horum vices, aut naturã vel rationem ſubire poteſt . Ergo hæc vnã habent naturam , vnamq́; rationem,& propterea rectè ; quod iſte intelligere non potuit , ſcripſit Galenus , non niſi vnum poſſe vnum indicare , Quid illa tua verba volunt Alexandrine temperies therapeuticus ſcopus eſt,quomodo ſcopus curationis eſt tẽperies ? quòd ſi eſt,quid hoc ad indicatio nes,quia inquit ille nõ ſatis ſcire poſſumus quãtum ſit declinatum à naturali ſtatu, niſi perſpecta ſit naturalis temperies. At hoc non eſt indicare curationem , ſed oſtendere quantitatem eius, quod quantitatem reme

diorum, quæ adhibentur ad curationem indicat. Hoc quod temperies, facit etiã causa externa: quippe cum ex illius vehementia deprehendamus quantus ſit affectus: eã tamen Gal. negat curationem indicare: Fatetur iſte homo vires ſemper ſui conſeruationem indicare, tamen remediorum quantitatem indicare, nunquam tamen curatorium ſcopum facere, in quibus duobus verbis bis peccat: nam ſi ſemper indicant conſeruationem, quomodo indicabũt remediorum quantitatem: nam remedia, vt Gale. docet in libro de optima ſecta ad Traſybulum, & de ſectis, dicuntur illa, quæ apta, & nata ſunt mutare, & non conſeruare corporis ſtatum: deinde ſi remediorum quantitatem indicant vires, quomodo non facient (vt ille ait) therapeuticum ſcopum? nam quod indicat curationem, ſimul indicat & remedia curatiua, & contra: vix riſum continere poſſum, cum audio illum dicentem, ſe exquiſitè velle loqui in his, quorum nec principia, nec fundamenta tenet: putat ille ſe exquiſite loqui, quum coindicantia, contraindicantia, correpugnantia, indicantium nomine appellat, & tractat. Credit ſe Argenterii rationes confutaſſe,

quod dicat Gal. in lib. de optima secta, aduersus methodicos ea scribere, quæ in eo reprehendit Argenterius, & nescio quid somniat de nomine πάθη, quod nihil prorsus ad Argenterii rationes facit. Nugas ille dicit esse, imò ineptias, & chimæras, siquis in rerum tractatione, à summis in ea re generibus exordiatur, & alia deinceps ꝓsequatur. Statuit Alexandrinus quædam remediorum genus, alia vtendi modum, alia aliud quidpiam indicare, in quo quidē (si Diis placet) recte Galeni principia tenet qui in libro de optima secta docet, vnum, & idem assumptis suis differentiis, alterum cum suis differentiis indicare, idq́; meritò. nam si morbus (vt hoc exemplo vtamur) remedium curatiuum indicat, morborum qualitas, quantitas, modus, tempus locus, ordo, remediorum quantitatem, qualitatem, modum, tempus, locum, ordinem, indicabunt. sed vt toties iam dixi, frustra laboro cum hoc disputare, de re cuius nomina; naturam, & vim, ne per somniū quidem vidit. Sancit tanquam legislator quidā nihil referre, siue indicātia, siue coindicātia appelles, re constante ipsa. At referre hoc scribit Gal. multis locis, quos Argenterius

paſsim citat, nec res doceri poſſunt abſque ſuis aptis nominibus : ac quod grauius eſt non de nomine, ſed de re ipſa quæſtio eſt : nam indicantia, contraindicãtia, coindicanta, correpugnantia, inter ſe, re, natura, & ratione differunt. Cæterum ſignificationes modi, quas appoſitè, & ingeniosè meo iudicio ex variis Gal. locis collegit, & expreſſit Argẽ. tu inſulſas, & frigidas vocas, ſed interim reſpondere non potes, aut oſtendere in quo hæc frigiditas appareat. Vis vnã & eandem eſſe modi ſignificationem, quod exempla, quæ ex Gal Argenterius adducit euidentiſsime refellunt. Ex ſitu inquis Alexandrine vacuandi modus oſtenditur, nõ tamen propterea ſequitur ſitum eſſe modũ: ſed quis id colligit ? Argenter. inquit ex ſitu partium, locum indicari, per quem excrementa educi poſsint, & modum ſumi pro loco, quum Gal. ſcribit, ex ſitu partiũ modum oſtendi vacuationis : quum enim Gal. exemplis patefaciat, quid nomine modi ſit intelligendum, dicatq́;, ex ſitu & cõnexione partium, innoteſcere, ventriculũ per anum, & os repurgari poſſe, quis negabit modum pro loco apto ad vacuationẽ accipi? ſed tu in eo erraſti, quòd locum hu

iuſmodi pro partium ſitu ſumas: ſequitur enim modum ſumi pro loco, non tamen pro ſitu partis, vt ipſe credis, nam ex ſitu partis (vt dixi) locus vacuationis innoteſcit: ſi te qui hæc non intelligas inſulſum, & frigidum quis vocaret, quid diceres? ſaltem in eo Alexandrine in quo hallucinaris, modeſtia vtere. Iudicas vnam, & eandem eſſe modi ſignificationem, & hanc ſignificare viam, rationem, & modum, quo quid peragi debet, ergo modum per modum explicas: ſed illud dic quid per illam viam, & rationem, qua quid fieri debet, intelligas? an genus, an qualitaté, vel quantitatem, vel tempus agendi hoc nomine comprehendis? (hæc enim omnia in recta agendi ratione, ſunt neceſſaria) an aliud quidpiam, vt video, quod cogitatione aſſequi, & exprimere nequis. Properandum aliò tibi eſſe dicis hoc loco, nimirum quòd nihil reſpõdere poſsis ad ea quæ diſputat Argenterius de indicantibus modum: At vt video vis hæc relinquere, vt alia attingas, in quibus inſcitiam tuam fortè clarius patefacias, quod ſanè facis: quum enim Argenterius deſideret à Gal. aliquid commune quod qualitatem remediorum indicet, reſpondes pro

Galeno morbum totum hoc ipſum indicare, vt qualitas præter naturam, non vt qualitatis communitas: verum ad hęc exclamat Galenus non morbos duntaxat, ſed cum illis, aut ſolas etiam cauſas remediorũ qualitates oſtendere. Addo q̃d tu ipſe in hac re tibi contradicas, ais enim morbum qualitatem eſſe præter naturam, & vt talis eſt, qualitatẽ remediorũ indicare: nam ſi morbus eſt qualitas, erraſti anteà quum lapidẽ in veſica morbum eſſe dicebas. Quis verò intelligere poſsit, quod dicis morbũ nõ capi pro qualitatis communitate: ridiculum eſſe putas ſi quis ita ſumat, ſed quis vnquam ita ſumpſit, aut quis non rideat, quũ legat omnia ferè argumẽta, quę vel Gal. vel Argẽ. contra eos qui malè tractabãt indicationes afferunt, non alia ratione à te dilui quàm quòd illa pugnent contra communitates methodicorũ, quod quàm falſum ſit, ex Galeni & Argenterii libris facile quilibet deprehendere poteſt: Alia tibi eſt opus via, alio ingenio Alexãdrine, ſi velis ad hæc reſpondere, ad quæ etiam non potes, ſi velis, & illa quæ non habes, tibi ſuppetant. Etenim veritatis magna eſt vis, quam illudere nõ potes his tuis ſubterfugiis, imò nu-

gis ab omnibus veritatis studiosis iamdudū cognitis & contemptis: Cogor multa dissimulare, quæ quilibet per se intelligere potest: hoc tamen præterire non possum, in quo euidētissima repugnātia cognoscitur: ais enim res quæ indicantium, conindicantium, & contraindicantium nomine significantur, inter se omnino diuersas esse, quod si ita est, quo pacto asserere potes, illa quæ coindicant, & contraindicant, indicare? si enim omnino res diuersæ sunt, vna non potest alterius naturam, & vim subire ac sumere. non vides tu hæc absurda, quæ ex ignoratis huius tractatiōis principiis cōstruis? Si ignoras quid sit indicatio, contraindicatio, coindicatio, & correpugnatio: si nunquam de his rebus cogitasti, cur audes de illis differere? certamen aggredi cū eo, quē oēs boni, & docti medici fatentur non solū cultorem huius operis, sed potius authorē & inuentorem: vt qui vix minima quædam huius rei initia, ab aliis tradita inuenerit, alia vero omnia suo labore & maximo studio candidè adiecerit. Sed quorsum hæc lōgius prosequor, aut tento hominem docere qui principia rerum nequaquā percipit, aut posita tueri nescit, nec videt quid ex il-

lis ſequatur, nec Galenũ nec Argẽterium, nec (quod peius eſt) ſeipſum intelligit. Quare diſputandi hic finẽ facio. Te verò mi Alexandrine (quod ſupereſt) admonere volo, vt poſteaquã tam infeliciter Galeni cauſam tractaſti illamque minus probabilem, quàm acceperas, reddidiſti & omnibus palam feciſti, quàm rudis ſis diſputator, poſthac aliud aggrediaris, ſi quid eſt in quo melius aliquid præſtare poſsis. Sin minus ingenio vales, ſaltem, quod decet, te doctiores agnoſce, neque omnem humanitatem prorſus exue, vt ſi non doctrinam, ſaltem hanc partem in te commendare poſsimus, nam ſi diſputando intra modeſtiæ & humanitatis limites te ipſum continuiſſes, hoc certe nomine Galeni cauſam meliorẽ apud omnes doctos & bonos viros reddidiſſes, ſed quũ omne genus calumniæ exerceas, omnes contumelias experiaris, omne virus emittas, nonne te maledicendo omnibus odioſum præbes? Scripſit Argenterius magna cũ modeſtia, & veneratione nõ nulla in arte ſua aduerſus Galenũ: ſcripſit & Veſalius multò acrius: cur ergò illum dãnas, hunc laudas? nonne in his eadem eſt ratio? Nulla vnquam in re te Arg. offendit,

cur ergo tu petulantiſsimo ore illum contũ meliis afficis? plagiarium, ingeniorum corruptorem, bonorum ſtudiorum interturbatorem, impoſtorem, & ſi quid peius dici poteſt, appellando, atque ita inimicitiæ ſemina temerè ſpargis: quorum hoc imprudentiæ, illud malignitatis arbitror eſſe inditium. Argenterii rationes appellas ſophiſticas cauillationes, friuolas, futiles, inſidioſas repræhenſiones, nugas, ineptias, blateramenta, lolium, zizaniam, deliramenta, venena, monſtra, ſed breui peritura; quæ etſi falsò hæc dicis, tamẽ ſi talia ſũnt, qualia eſſe credis, quid opus eſt, vt te ipſum tantopere torqueas, & alios omnes implores: qui ad horum pernitiem veniant, tibique opem ferant? quæ enim ſponte caſura ſunt, tot machinas, tot tormenta nequaquã expoſcunt. Si ferre nõ potes hoc liberum ſcribendi genus, quo philoſophia, medicina, & aliæ omnes bonæ artes, & diſciplinæ cœperunt, & auctæ ſunt: reiiciamus, explodamusque Platonem, Ariſtotelem, Galenum, Auicen. Auerroem, & alios omnes doctiſsimos ſcriptores, qui non niſi hac honeſta contentione ſuam facultatem excoluerunt, ac immortalem gloriam hac ratione ſibi, humano

autem generi incomparabile commodum & vtilitatem pepererunt. Nullum inquies finem fore ſcribendi & docendi, ſi quilibet audeat contra iam probatos authores, & receptas illorum opiniones inſurgere: rectè quidem: nam nulli via à natura præcluſa eſt ad veritatem inquirendam & gloriam virtute comparandam: Nec quilibet, vt tu arbitraris, hoc aggreditur: aut certe fœliciter tractare poteſt: tu enim (niſi fallor) nunquam inter illos locum inuenies, qui antiquorum bene inuenta augere, ſcriptaque eorum perpolire poſſunt, & id eſt (vt arbitror) quod te male habet, miſerè afficit, & torquet. Hæc ſcribendi ratio, quam Argenterius antiquorum omnium & bonorum ſcriptorum imitatione profitetur, artem nequaquam mutat, aut deſtruit, vt tu tibi ſine iuditio perſuades, ſed exornat, perficit ſtabilitque. Si Hippocrates & Galenus omnibus numeris medicinam noſtram abſoluerunt, cur reliquos omnes medicos, qui poſt illos de eadem re ſcripſerunt, & multa aliter tradiderunt, non excludimus? quare illorum inuentis vtimur? cur illorum omnia ſcripta tranſuerſo calamo haud ſignamus, vel conſcindimus laceramusúe?

quod tu Argenterii operibus euenire per-
optas: verum fruſtra, nam te reluctante, &
omnibus tui ſimilibus inuitis illa indies ma
iorem gloriam conſequuntur: quæcunque
enim ab eo elaborantur, magno paſsim de-
ſiderio ab omnibus expetuntur, diligenter
leguntur, probantur, & extolluntur. Re-
quiris in Argenterio modeſtiam, quando
aduerſus Galenum ſcribit: quam nullus
alius in eo deſiderare cum ratione poteſt.
Quid ſi ille eo modo rem hanc tractaret cũ
Galeno, quo is aduerſus omnes philoſo-
phos & medicos (vno Hippocrate excepto)
agit, haberes fortè quod dicere poſſes; at
nunc quid eſt, quod reprehendis? dicit ne
vnquam Argenterius quicquam inſolen-
tius in Galenum, quàm in quibuſdam eum
humanitus erraſſe, hæc non ſatis explicaſſe:
illa confuſè forte tradidiſſe: hoc in Galeno
deſiderari: illud ſuperfluum eſſe. hæc ſunt
illa enormia conuitia, quibus Galenum in-
ceſsit: illa ſunt ſpicula, quæ in Galenum
torquet: hæc ea ſunt verba, quæ ita animũ
tuum imbecillem perculerunt, atque effece
runt, vt non dubitaueris exuto omni pudo
re in virum doctum, ſincerum, perhuma-
num ſtringere calamum, eumque conuiciis

lacessere, qui non exiguo rei familiaris detrimento, maximo quietis incommodo, summis laborib.& indefessis vigiliis, quantum in se fuit artem nostrã, omnemq́; philosophiam multum iuuit,& incomparabili diligẽtia, industriaq́; singulari nititur,quo ad eius fieri potest, continuo excolere. Sed loquamur Alexandrine cum iudicio de his rebus: posset ne aliquid mitius in alium (quẽ alicubi errare intelligeres) dici? Quòd si Galenus in arte sua deliquisse rationibus conuincitur, quid prohibebit quo minus ea simpliciter detegantur? homo, vt opinor, fuit, & humanitus errare potuit: non omnia eum solum sciuisse verisimile est, qđ ex ipsius scriptis, & ex aliorum postea inuẽtis cognoscitur. Videre hoc est potissimũ in iis medicinæ partibus, in quibus externi sensus plurimum valent. Post Gal. multa remedia inuenta sunt, ab eo planè ignorata: materia omnis medica hoc tẽpore multo exactius cognita, quàm erat tempore ipsius, vel ab ipso etiam Galeno perspecta, Cheirurgiæ multa posteri ipsius ante nostra tempora addiderunt, & nostro seculo (quo omnes honestæ artes cœperunt excoli) industria multorum ita eam exercuit, vt

hoc tempore multa promptè manibus ipsis efficiamus, quæ ipse, maioresq́, nostri vix ferramẽtis innumeris, glossocomiis, scalis, scamnis, repagulis, vectibus, laqueis, habenis, & id genus aliis, quibus tendimus, reformamus, constituimus membra, & in deligando vtimur, efficere potuerunt. De anatome nihil addo: nihil item dico de fontium medicatorum natura & facultatibus planè ab eo ignoratis, quos ad morbos pellẽdos vel bibimus, vel eis toti lauamur, vel partem corporis irrigamus, aut cœno ipsorum inuoluimur, vel etiam vapore fouemur. Taceo item ingeniosum illud inuentum, quo quintam quandam essentiam dissolutis cuiuscunque generis corporibus, caloris vi, modis variis, destillatione, ascensu, descensu, putrefactione, imbibitione per diuersos succos, aut liquores, extrahimus, sine quo profectò, vt subticeam cætera, non solum medicina nostra, & in ea maxime quæ manuum opere perficitur, sed innumeræ aliæ artes planè sunt mutilæ atque imperfectæ. Hæc et his similia, si tradi, & doceri debẽt, quomodo quæso id fieri aptè potest, nisi addas hæc ab antiquis, vel non tradita, uel non, ut decet explicata? & si

forte

fortè quædam ab aliis malè dicta ſunt, non ſatis appoſitè, aut minus rectè perſcripta, quod ſolet ferè uſui uenire iis, qui ſine principiis, & methodo docẽdorum conſtituta, obiter & in tranſcurſu aliquid de rebus nõ antea ſatis percognitis docent. Verum fateris antiquiores ſcriptores erraſſe, concedisq; aliis omnibus, qui ſunt ingenio, & iudicio aliquo præditi, ut poſsint ea reprehẽdere, quæ malè ſunt dicta, & meliora tradere: ſoli Argenterio hanc licentiam adimis. An te iudice caret ille ingenio, & iudicio? non id eſt profectò, ſed quòd videas eum diligentius, & acutius hæc tractaſſe cæteris omnib. qui antea de his aliquid in ſcriptis contulerunt, agnoſcis otii ignauorum hominum, non bonorum ſtudiorum interturbatorem, & talẽ, qui (vt ais) cunctarum rerum cardinem conuellere poſsit, Tacere eum, ſed fruſtra, exoptas: nam noua iã ab eo prodeunt in eo genere ſcribendi opera, & indies, Deo fauente, alia prodibunt, quibus ignorantiam multorum detegi vidébis: Atque eo auulſo, mihi crede, non deerunt alii, qui bona, quæ poſuit ipſe ſemina, & liberè docendi rationis fundamenta excolent, & ad frugem producent. Argen

terius Gal.ſe non æquat,aut parem cenſet, vt tu illi præter rationem imponis : ſed eũ imitatur,& eodem ſcribendi genere in eadem arte ſtudia noſtra iuuare nititur. Aequalem ſi ſe Montano faceret, ſuo & optimo iure id facere poſſet, nam licet nõ tuo, tamen doctiorum iudicio alterius momenti ſunt Argenterii opera; quàm ſunt ea, quæ Montani nomine circumferuntur : verum ſi Argenterium damnas, quòd liberè aduerſus Galenum ſcripſerit,non eſt quòd tantopere Mõtanum laudes, vt qui paſsim (ſi vnquam ipſum docentem audiuiſti, vel quæ circunferuntur ſcripta legiſti) in eodẽ docendi genere verſetur. Nolo longius hæc tua proſequi, quæ non poſſum ſine animi mei moleſtia, & incommodo explicare: nam quæ in hac tota tua peroratione cõfusè, vt ſoles, ſcribis, nihil planè faciunt ad Argenterii rationes refellendas, ſed ſolum ad eludendum eum præter rationem, & propoſitum, eiuſque doctrinam (quod nunquam docti, & boni viri officium fuit) exibilandam. Quare nihil hic addo: non enim malum malo, hoc eſt, calumnias calumniis, conuiciaq́; conuiciis rependere lubet: propterea nolui in tota hac mea de re-

bus in arte noſtra diſputatione, & præceptoris mei defenſione, quicquam in te dicere, quod boni viri exiſtimationem lædere poſſet, ſolum in eruditionem tuam, vbi errores inſignes tui hoc flagitabant, inuectus. Quòd ſi tu idem in Argenterii ſcriptis iudicãdis, & cenſendis præſtitiſſes; melius hoc tempore apud doctos audires, & Galeni cauſam multo probabiliorem illi, qui omnia illius tanquam rata inſano amore tuentur, haberent. Sed diſces fortaſſe tuo malo poſthac ſapere, & doctos viros honeſtius tractare, hancq́; cauſam ſolum rationibus agere, & probatorum authorũ teſtimoniis cõprobare, vel ab incepto infœliciter opere omnino deſiſtes: quorum quodcunque libuerit, vel conſultius, atque ex re tua magis viſum fuerit, ſequere.



FINIS

Errata ſic corrigito.

Pa.3.lin.14 abſoluere,abſoluerem.5.12.animo,ex aīo 10.20.cœperant,cœperunt. 11.9.didicerit, didicerint 11.11.pepererit,pepererint 12.21.ſtudioſorum,ſtudioīū. 13.5.Vrgeri,Vrgere.13.15.ablegans,ablegare. 18.17.Viri, principes Viri.20.17.uenturo ſeculo,uentura ſecula.21.9.ſcribendi,ſcribenti.23.27.quibuſdā,a quibuſdam.25.11.uel nihil,uel parum uel nihil. 29.9.accuſari,accuſati.36.18.conſenſum,conſenſu. 39.23.affers afferes.41.1 proba,probæ 44.8.mutatio, nutritio,46.1.minime,minima.46.19.morbo à morbo.47 28.ne flaua,ut flaua.55.1.eſſe,eſſes.56.28.nutri, nutriri.58.3.ſed an Gal. ſi unquam Gal.63.28.componentem,componentium.66.2.particeps, participem.68.17.poſsit,poſsint. 68.21.euacuationem,curatione.69.27.ſed iſte, ſed quæ iſte.79.26.& ut certe,ut certe.85.16.nec ſcribis,nil ſcribis.88.24. reprehedere, reprehende.90.6.libeat,liceat.90.8.quo in quo. 160.28.alloqui,alloquor.

REGISTRVM

ABCDEFGHIKLM

Omnes ſunt quaterniones, præter M, qui eſt duernio.

